S. RITUUM CONGREGATIO

BRUNEN.

R.mus D.nus Franciscus Salesius Bauer, Episcopus Brunensis, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humiliter expostulavit; nimirum:

I. Utrum Litaniae Lauretanae post tertium *Agnus Dei* rite ac recte absolvi possint, addito statim versiculo, responsorio et oratione, vel inserto prius *Christe, audi nos* etc. prouti fit in Litaniis Sanctorum, cum *Pater* et *Ave* vel uno alterove?

II. Oratio ad S. Ioseph, in mense Octobri ponenda est inter Rosarium et Litanias, an post Litanias rite absolutas?

III. Quandonam dicendae sunt cum populo preces post quamvis Missam sine cantu praescriptae, si S. Rosarium, Litaniae et oratio ad S. Ioseph non eodem cum Missa momento finiunt?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae omnibusque perpensis respondendum censuit:

Ad I. Litaniae Lauretanae concludendae sunt uti in Appendice Ritualis Romani, omissis *Christe, audi nos* etc.; versiculus autem, responsorium et oratio post dictas Litanias mutari possunt pro temporis diversitate.

Ad II. Oratio ad S. Ioseph in fine Litaniarum Lauretanarum adiungi potest, iuxta prudens arbitrium Episcopi.

Ad III. « Preces a SS.mo D. N. Leone Papa XIII in fine Missae praescriptae recitandae sunt immediate, expleto

ultimo Evangelio », ita ut aliae preces interponi nequeant, iuxta decisionem S. R. C. in una *Basilecn.* N. 3682, diei 23 Novembris 1887; et si, Missa absoluta, Rosarium a populo recitandum non sit finitum, Celebrans dictas preces recitet cum Ministro solo.

Atque ita rescripsit. Die 7 Decembris 1900.

L. ✠ S.

D. Card. FERRATA, *Praef.*
D. PANICI, *Archiep. Loadicen. Secret.*

VARIATIONES ET ADDITIONES

PRO MARTYROLOGIO ROMANO

Die 11 Februarii.

Tertio Idus Februarii.

Hetruriae in Monte Senario, Sanctorum Septem Fundatorum Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis, qui post asperrimum vitae genus, meritis et prodigiis clari, pretiosam in Domino mortem obierunt. Quos autem in vita unus verae fraternitatis spiritus sociavit et indivisa post obitum populi veneratio prosecuta est, Leo Decimustertius una pariter Sanctorum fastis accensuit.

In Africa natalis Sanctorum Martyrum etc.

Die 8 Martii.

Octavo Idus Martii.

Granatae in Hispania, Sancti Ioannis de Deo, Ordinis Fratrum Hospitalitatis Infirmorum Institutoris, misericordia in pauperes et sui despicientia celebris; quem Leo Decimustertius Pontifex Maximus omnium hospitalium et infirmorum caelestem Patronum renuntiavit.

Die 14 Aprilis.
Decimoctavo Kalendas Maii.

Sancti Iustini Martyris, cuius memoria pridie huius diei recensetur.

Die 16 Aprilis.
Sextodecimo Kalendas Maii.

Romae, natalis Sancti Benedicti Iosephi Labre Confessoris, contemptu sui et extremae voluntariae paupertatis laude insignis.

Die 15 Maii.
Idibus Maii.

Rothomagi, Sancti Ioannis Baptistae de La Salle Confessoris: qui in erudienda adolescentia praesertim paupere excellens, et de religione civilique societate praeclare meritus, Fratrum Scholarum Christianarum sodalitatem instituit.

Die 17 Maii.
Sextodecimo Kalendas Iunii.

Apud Villam Regalem in Regno Valentino, Sancti Paschalis, Ordinis Minorum, mirae innocentiae et poenitentiae viri, quem Leo Decimustertius coetuum eucharisticorum et societatum a Sanctissima Eucharistia Patronum caelestem declaravit.

Die 23 Maii.
Decimo Kalendas Iunii.

Romae, natalis Sancti Ioannis Baptistae De Rossi Confessoris, patientia et charitate in evangelizandis pauperibus insignis.

Die 22 Iunii.
Decimo Kalendas Iulii.

Romae, Beati Innocentii Papae quinti, qui ad tuendam Ecclesiae libertatem et Christianorum concordiam suavi prudentia adlaboravit. Cultum ei exhibitum Leo Decimustertius Pontifex Maximus ratum habuit et confirmavit.

Die 5 Iulii.

Tertio Nonas Iulii.

Cremonae in Insubria, Sancti Antonii Mariae Zaccaria Confessoris, Clericorum Regularium S. Pauli et Angelicarum Virginum Institutoris, quem virtutibus omnibus et miraculis insignem Leo Decimustertius inter Sanctos adscripsit. Eius corpus Mediolani in ecclesia S. Barnabae colitur.

Die 8 Iulii.

Octavo Idus Iulii.

Romae, Beati Eugenii Papae tertii, qui postquam coenobium Sanctorum Vincentii et Anastasii ad Aquas Salvias magna sanctimoniae ac prudentiae laude rexisset, Pontifex Maximus renuntiatus, Ecclesiam universam sanctissime gubernavit. Pius Nonus Pontifex Maximus cultum ei exhibitum ratum habuit et confirmavit.

Die 18 Iulii.

Quintodecimo Kalendas Augusti.

Sancti Camilli De Lellis Confessoris, Clericorum Regularium infirmis ministrantium Institutoris, cuius natalis dies pridie Idus Iulii recensetur: Quem Leo Decimustertius Pontifex Maximus hospitalium et infirmorum caelestem Patronum renuntiavit.

Die 19 Iulii.

Quartodecimo Kalendas Augusti.

Sancti Vincentii a Paulo Confessoris, qui obdormivit in Domino quinto Kalendas Octobris. Hunc Leo Decimustertius omnium societatum caritatis in toto catholico orbe existentium, et ab eo quomodocumque promanantium, caelestem apud Deum Patronum constituit.

Die 24 Iulii.

Undecimo Kalendas Augusti.

Ulyssipone, Sancti Laurentii a Brundusio Confessoris Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum Ministri

Generalis, divini verbi praedicatione et arduis pro Dei gloria gestis praeclari, a Leone Decimotertio Summo Pontifice Sanctorum fastis adscripti, assignata eius festivitate Nonis Iulii.

Die 13 Augusti.

Idibus Augusti.

Romae, natalis Sancti Ioannis Berchmans scholastici e Societate Iesu, vitae innocentia et religiosae disciplinae custodia insignis, cui Leo Decimustertius Pontifex Maximus caelitum Sanctorum honores decrevit.

Die 18 Augusti.

Quintodecimo Kalendas Septembris.

InMontefalco Umbriae, Beatae Clarae Virginis, Monialis Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, in cuius visceribus Dominicae Passionis mysteria renovata, maxima cum devotione venerantur. Eam Leo Decimustertius Summus Pontifex Sanctarum Virginum albo solemni ritu adscripsit.

Die 19 Augusti.

Quartodecimo Kalendas Septembris.

Romae, Beati Urbani Papae secundi, qui Sancti Gregorii séptimi vestigia sequutus, doctrinae et religionis studio enituit, et fideles cruce signatos ad sacra Palestinae loca ab infidelium potestate redimenda excitavit. Cultum ab immemorabili tempore eidem exhibitum Leo Decimustertius Pontifex Maximus ratum habuit et confirmavit.

Die 7 Septembris.

Septimo Idus Septembris.

Nonantulae in Aemilia, S. Hadriani Papae tertii, studio conciliandi Ecclesiae Romanae Orientales insignis. Sanctissime obiit Spinae Lamberti ac miraculis claruit.

Die 9 Septembris.

Quinto Idus Septembris.

Carthagine nova in America meridionali, Sancti Pe-

tri Claver Confessoris e Societate Iesu, qui mira sui abnegatione et eximia caritate Nigritis in servitutem abductis, annos amplius quadraginta, operam impendens, tercenta fere eorum millia Christo sua ipse manu regeneravit, et a Leone Decimotertio Pontifice Maximo in Sanctorum numerum relatus est.

Die 10 Octobris.

Sexto Idus Octobris.

Romae, Beati Ioannis Leonardi Confessoris, Fundatoris Congregationis Clericorum Regularium a Matre Dei, laboribus ac miraculis clari: cuius opera Missiones a Propaganda Fide institutae sunt.

Die 16 Octobris.

Decimoseptimo Kalendas Novembris.

Cassini, Beati Victoris Papae tertii, qui Gregorii septimi successor Apostolicam Sedem novo splendore illustravit, insignem de Saracenis triumphum divina ope consecutus. Cultum ab immemorabili tempore eidem exhibitum Leo Decimustertius Pontifex Maximus ratum habuit et confirmavit.

Die 30 Octobris.

Tertio Kalendas Novembris.

Palmae in Maiorica, Sancti Alphonsi Rodriguez Confessoris, coadiutoris temporalis formati Societatis Iesu, humilitate ac iugi mortificationis studio insignis, quem Leo Duodecimus Beatorum, Leo vero Decimustertius Sanctorum fastis adscripsit.

Die 9 Decembris.

Quinto Idus Decembris.

Graii in Burgundia, Sancti Petri Fourier Canonici Regularis Salvatoris Nostri, Canonissarum Regularium Dominae Nostrae edocendis puellis Institutoris, quem virtutibus ac miraculis clarum Leo Decimustertius Sanctorum catalogo adiunxit.

Die 19 Decembris.

Quartodecimo Kalendas Ianuarii.

Avenione, Beati Urbani Papae quinti; qui, Sede Apostolica Romae restituta, Graecorum cum Latinis coniunctione perfecta, infidelibus coercitis, de Ecclesia optime meritus est. Eius cultum pervetustum Pius Nonus Pontifex Maximus ratum habuit et confirmavit.

Concordant cum Originalibus. In fidem etc.

Ex Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis, die 11 Martii 1901.

L. ✠ S.

Pro R. P. D. Diomede Panici, Archiep. Laodicen.,
Secretario
Philippus Can. di Fava, *Substitutus*.

URBIS ET ORBIS

Ad humillimas preces Rev. Fr. Robustiani, Procuratoris Generalis et Postulatoris Congregationis Fratrum Scholarum Christianarum, ab infrascripto Cardinali Sacro Consilio legitimis Ritibus cognoscendis ac tuendis Praefecto relatas, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, ex ipsius Sacrae Congregationis consulto, benigne concedere dignatus est, ut festum S. Ioannis Baptistae de La Salle Conf., cum Officio et Missa de Communi Conf. non Pont., exceptis Oratione et Lectionibus secundi ac tertii Nocturni propriis, sub ritu duplici minori, die decimaquinta Maii, post annum 1902, ab universa Ecclesia quotannis recolatur; mandavitque ut Kalendario Universali ac novis editionibus Breviarii et Missalis Romani eiusmodi festum cum supradicto Officio ac Missa (de eodem Communi *Os iusti* praeter Orationem et Evangelium) inscribatur, nec non ellogium, prout huic praeiacet Decreto, Martyrologio Romano inseratur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 10 Februarii 1901.

D. Card. FERRATA *Praef.*

L. ✠ S.

D. PANICI *Archiep. Laodicen. S. R. C. Secret.*

PRIVILEGIA

QUAE IN TRIDUO VEL OCTIDUO SOLEMNITER CELEBRANDO INTRA ANNUM A BEATIFICATIONE VEL CANONIZATIONE, PER RESCRIPTUM SACRAE RITUUM CONGREGATIONIS, A SUMMO PONTIFICE CONCEDI SOLENT.

I. In solemniis, sive triduanis pro recenter Beatificatis, sive octiduanis pro recenter Canonizatis, quae celebrari permittuntur, Missae omnes, sive solemnis sive privatae, inter Votivas recensendae sunt. Ob peculiarem vero celebritatem Sanctitas Sua indulget, ut omnes ac singulae dicantur cum *Gloria* et *Credo;* semper autem habebunt Evangelium S. Ioannis in fine, iuxta Rubricas. Missa tamen solemnis dicatur cum unica Oratione; reliquae vero privatae cum omnibus commemorationibus occurrentibus, sed Collectis exclusis.

II. Missam solemnem impediunt tantum Duplicia primae classis, eiusdemque classis Dominicae, nec non feriae, vigiliae et octavae privilegiatae, quae prefata duplicia excludunt. Missas vero privatas impediunt etiam Duplicia secundae classis, et eiusdem classis Dominicae. In his autem casibus impedimenti, Missae dicendae sunt de occurrente festo, vel Dominica, aliisve diebus ut supra privilegiatis, prouti ritus diei postulat. In Duplicibus tamen primae classis addatur Orationi diei unica commemoratio de Beato vel Sancto sub unica conclusione: in duplicibus autem secundae classis Orationi de die, sub sua distincta conclusione, addantur in privatis Missis, praeter Orationem de Beato vel Sancto, omnes quas ritus exigit commemorationes occurrentes, Collectis, ut supra, exclusis. Similiter in reliquis privilegiatis diebus Missae sint iuxta ritum diei, commemoratione de Beato vel Sancto semper suo loco addita. Quod Praefationem spectat, serventur Rubricae.

III. In Ecclesiis, ubi adest onus celebrandi Missam Conventualem vel Parochialem cum applicatione pro po-

pulo, eiusmodi Missa de occurrente Officio numquam omittenda erit.

IV. Si Pontificalia Missarum ad thronum fiant, haud Tertia canenda erit, Episcopo paramenta sumente, sed Hora Nona: quae tamen Hora minor de Beato vel Sancto semper erit, substitui nihilominus eidem Horae de die pro satisfactione non poterit.

V. Quamvis Missae omnes, vel privatae tantum, impediri possint, semper nihilominus secundas Vesperas de Beato vel Sancto solemniores facere licebit absque ulla commemoratione: quae tamen cum votivi rationem induant, pro satisfactione inservire non poterunt.

VI. Aliae functiones ecclesiasticae, praeter recensitas, de Ordinarii consensu, semper habere locum poterunt, uti Homilia inter Missarum solemnia, vel vespere Oratio panegyrica, analogae ad Beatum vel Sanctum fundendae preces, Litaniae lauretanae, et maxime solemnis cum Venerabili Benedictio. Postremo vero Tridui vel Octidui die Hymnus *Te Deum* cum *Tantum ergo* et Orationibus de Ss.mo Sacramento ac pro gratiarum actione sub unica conclusione, solemniter decantandus, nunquam omittetur.

VII. Ad venerationem autem et pietatem in novensiles Beatos vel Sanctos impensius fovendam, Sanctitas Sua, thesauros Ecclesiae aperiens, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui vere poenitentes, confessi ac sacra synaxi refecti, ecclesias, vel oratoria publica, in quibus praedicta triduana vel octiduana solemnia peragentur, visitaverint, ibique iuxta mentem eiusdem Sanctitatis Suae per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces fuderint, indulgentiam plenariam in forma Ecclesiae consueta, semel lucrandam, applicabilem quoque animabus igne piaculari detentis, benigne concedit: iis vero qui corde saltem contrito, durante tempore enunciato, ipsas ecclesias vel oratoria publica inviserint, atque in eis uti supra o-

raverint, indulgentiam partialem centum dierum semel unoquoque die acquirendam, applicabilem pari modo animabus in purgatorio existentibus, indulget.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

V.

DE AMICTU, ALBA ET CINGULO.

Cum in rebus novis studendo, maxime aetate nostra, plures se placeant, accidit in quibusdam exterarum nationum Ecclesiis, ut quaedam invecta novae inventionis tela fuerit, lino aut cannabi substituta. Haec autem duplicis est speciei, alia scilicet *Nipis* dicitur, alia vero *Hia-pou*, ex planta derivans, quae *Urtica nivea* a peritis historiae naturalis nuncupatur. Quinimo aliquod in quadam etiam Urbis Ecclesia conspicitur indumentum ex tela, quae e corticibus arborum exsiccatis et affabre netis confecta est. Ex harum specierum tela praesenti aetate amictus, alba et cinguli, imo altaris mappae, pallae et corporalia, in aliquibus Ecclesiis reperiuntur, iisque sacri ministri, graviora nihilominus non ignorantes S. R. C. Decreta, linum tantum aut cannabem praescribentia, ex necessitate utuntur. Eapropter Damianus Presbyter, qui in hac vel illa ex alienis Ecclesiis saepe saepius facere Sacrum cogitur, scrupulis exagitatur, ut sequentes quaestiones cuidam sodali suo, rei liturgicae peritissimo, Romaeque degenti, resolvendas proponere optimum iudicaverit:

1. *Num a primaeva aetate semper adhibuerit Ecclesia, tam latina quam graeca, nonnulla indumenta linea, aliave in sacro usu linea utensilia, quidque, in casu affirmativo, significent?*

2. *Quaenam tela pro dictis indumentis, aliisque supra nominatis utensilibus, ex liturgica lege sit praescripta, quaenam permissa, vel prohibita?*

3. *Utrum iure merito Damianus scrupulis angatur? et num aliquid, quidque illi pro sua quiete suggerendum?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Antonii Frau, Scholae Apost. alumni, habita in S. Aede Congr. Missionis, prope Curiam Innocentianam, die 20 Februarii 1901; acta Epitome per R.mum Dom. Alfonsum Carinci, Apost. Caerem. Magistr.

1. Num a primaeva aetate semper adhibuerit Ecclesia, tam latina quam graeca, nonnulla indumenta linea, aliave in sacro usu linea utensilia, quidque in casu affirmativo, significent?

Propositam quaestionem pertractandam susceptu-ris, quoad lini usum in S. Liturgia relate ad historiam, animadvertendum iam ab exordio illud est, quod, dum pro sacris *utensilibus* ab ipsis Ecclesiae incunabulis originem novit, ac necessariis exceptis formae mutationibus, et temporum adiunctis congruis evolutionibus, ad nostram usque aetatem integer transmissus fuit; pro sacris *indumentis* obscurior ac magis implexa evadit quaestio, ob documentorum defectum, et ad hoc nos ducit consectarium, quod nimirum, labente temporis cursu, generalis legis characterem, induerit id quod in moribus sensim inductum fuit. Ut

teneamus igitur quemdam chronologicum ordinem, ab utensilibus incipiamus. Satis nunc demum compertum est, Apostolos, in Divinorum celebratione numquam usos fuisse nudo Altari ; et historici et liturgistae omnes sunt hic unanimes in asserendo, eos, ob summam in sanctissimum Christi Corpus debitam reverentiam, solitos fuisse illud *pannis* seu *linteis* contegere. Hinc usus pallae lineae, seu sindonis, super quam sacrae Species deponebantur, et quae idcirco accepit postmodum *corporalis* nomen, retinendus est omnino Apostolis coaevus. Clemens I Papa, in 1ª Epistola ad S. Iacobum, pluribus in locis mentionem facit de *palla,* quam Scholiastes, validis argumentis innixus *corporale* interpretatur. Plures inveniuntur auctores, qui ad rem constitutionem referunt S. Silvestri Papae, « ut Sacrificium Altaris non in serico neque in panno tincto, sed tantum in lineo ex terra procreato consecretur, sicut corpus Domini in Sindone linea et munda sepultum fuit ». Animadvertendum est tamen, hanc Silvestri constitutionem nullimode inter eius Decreta inveniri; et Saussay opinatur, illam a Papa Eusebio potius derivare, qui Melchiadis antecessor fuit, cui immediate Silvester successit. Burcardus quidem *(lib. 3, c. 99)* refert eius Decretum, in quo huiusmodi verba habentur: « Haec inter cetera praedicta consultu omnium constituimus, ut Sacrificium altaris etc. » Idem, iisdem ferme verbis, ab Ivone Carnutense repetitur, et a Gratiano. His quamvis semper nostra confirmetur assertio, non desunt tamen, qui textum citati Decreti tamquam innovationem contra usum eousque vigentem accipiunt. Facillime dignoscitur tamen, hic non agi de nova quadam constitutione, sed de in pristinum reductione, ex eo requisita, quod aliquis forte abusus irrepserat, in ratione honoris sacris Speciebus tribuendi.

Corporalia antiquitus valde magis quam hodierna patebant, cum ad totam mensae Altaris contegendam

superficiem adhiberentur, una cum calice et panibus consecrandis, ad fidelium communionem. Saeculo vero VI ineunte, aut paulo ante, cum panis azymus minorem accepisset formae mensuram, et fidelium communicantium frequentia fuisset imminuta, corporale arctioribus limitibus perstringi coeptum est.

Itidem Graeci linteo quadratae formae, nostri corporalis instar, utuntur, qui, lecto Evangelio, explicatur ac, Sacrificio expleto, reponitur. Huius meminit Chrysostomus vocans *Iliton*, et discipulus eius Isidorus Pelusiota *(lib. I, ep. 123)*, iuxta S. Silvestri constitutionem ait: « Pura illa Syndon, quae sub divinorum misteria expansa est, Iosephi Arimathensis est ministerium. Ut enim ille Domini Corpus Syndone involutum sepulturae mandavit, per quod universum mortalium genus resurrectionem percipit, sic nos propositionis panem Syndone sacrificantes, Christi Corpus sine dubitatione reperimus ». Ubicunque vero corporalis sermo est, semper ad linum innuitur veluti materiae universaliter usitatae; ita in Ordine Romano habetur: « Diaconus accipiens corporale ab acolytho etc. quod utique linteum ex puro lino esse contextum debet, quia Syndone munda Corpus Domini legitur involutum in sepulchro ». In Concilio Rhemensi *(Cap. 3)* statutum fuit, corporale nonnisi lineum esse debere. Item Rupertus Abbas, in definienda corporalis materia, symbolicam exhibet rationem; ait equidem *(lib. 2, De Divin. Offic., c. 23, De ornatu Altaris)*: « Corporale lineum, in quo Dominicae passionis celebramus memoriam, tribulationem eius et singularem designat in eo carnis munditiam. Linum quippe de terra natum multis attritum pressuris ad nivei candoris honorem et levem subtilitatem pervenit. Grossum et inglorium e terra consurgit, sed inter manus prementium opificum, subtiliatur et candescit. Tribulationem ergo Domini in lineo corporali advertimus ». Nimium de cetero noster sermo protraheretur si omnia,

quae ad rem faciunt, testimonia in medium afferre velimus, nullus enim habetur liturgicus codex, in quo, sub appellatione pallae, sudarii, coopertorii, sindonis, memoria non fiat corporalis. Evidens est ergo originem corporalis ad aevum pertinere apostolicum.

Romana Ecclesia, praeter corporale, ad calicem operiendum utitur *palla*, de qua Innocentius III ita loquitur: « Duplex est palla, una quam Diaconus super altare totam expandit, altera quam super calicem plicatam imponit *(lib. II, c. 5, 6, de mysteriis Missae)* ». Discordes inveniuntur auctores in historico momento assignando, quod pallam respicit affirmant nonnulli illius antiquitatem, auctoritate praesertim Chrysostomi suffulti; qui in sua liturgia sic fatur: « Diacono autem tenente thuribulum, Sacerdos explicat super... sancta corporalia, sacro calici superponenda ». Corporalis nomen adhibitum hic in plurali, supponere videtur, duo saltem in Missa in usum fuisse; unum ad totum altare cooperiendum, alterum specialiter pro calice tegendo. Ait praeterea Auctor divinae liturgiae: « Sacram fuscinulam infert sacro tinctam sanguine et admonet Sacro poni in crucis formam, ad eam partem in qua caelata est crux sub *psychia* ». Vox *psychia* pro *palla* accipienda est, aut, sicut dicitur vulgo *animetta*, cum graece *psyche* animam significet. Alii auctores praetendunt omnem pallae antiquitatem negare, opinionem fulcientes argumento, quod corporale ad sacras Species cooperiendas inserviret, ut ait Albinus Flacus: « Ita plicari debet, ut nec initium nec finis appareat ». Attamen videtur, distinguendo loca, conciliari posse sententiarum disparitatem, et dici aliquos eo usos fuisse, ignorasse alios. S. Anselmus (in libro *De divers. sacram)*, ait: « Tutius puto ut calix, ne musca, aut aliud indecens in illum caderet, operiatur »: Ex Rodulpho Tungrense *(De canon. observ.)* referimus: « In componenda oblata in altari est duplex modus, unus romanus, quem

servant Itali et Alemanni, cum duobus corporalibus, quorum utrumque lineum debet esse: Gallici vero cum uno tantum etc. calice de plica corporalis cooperto, oblatam ponunt ante ». Ioannes a Parma, suos Fratres iubet, calicem cooperire palla a corporali distincta. In epistola quadam, ad Anselmum Cantuariensem a Valerano missa, habetur: « Inter consecrandum nonnulli ab initio calicem operiunt, quidam corporali, alii panno complicato instar sudarii, quod repertum legimus in monumento non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in uno loco »: studiosa observatio, quae significationem mysticam, ut videbimus, pallae determinat. Ipsius usus, adeo S. Liturgiae exigentiis conveniens, paulatim universalis evasit; Patres Carthusiani, uni, veterem retinent morem calicem cooperiendi corporalis extrema parte super ipsum revoluta. E converso Patres Theatini binis utuntur pallis, in quarum una hostiam deponunt consecratam usque dum super patenam deponenda non sit; et Hispani, ne palla in Sacrificio adhibenda superposito velo deterioretur, super pàtenam et hostiam pallam alteram imponunt rotundae formae, prout est patena, alii usui non inservientem, illa infra corporale retenta.

Quid vero de purificatorio dicendum? Ut illi plus minusve remota tribuatur antiquitas, documenta desunt; veteres scriptores, mentionem illius non faciunt; Ordo Romanus nihil ad rem habet; aliunde vero scimus, Monachos, ad digitos abstergendos, mappa quadam usos fuisse, quam ad altaris latus appendebant. Huiusmodi tamen illam esse, quae, temporis decursu, inter liturgicas suppellectiles locum invenit, validis probari deberet rationibus; verius aliud illa non fuit, quam hodiernum manutergium, de quo mentio fit in Concilio Carthaginiensi IV. Satis erit adnotasse, Graecos, ad calicem abstergendum, spongiam adhibere.

A corporali, aut veluti consectarium, aut ex concomitantia, usus tobalearum provenit, quarum originem nonnulli ab Apostolis derivant. Alii, moderatiores, agnoscunt in illis transformationem quamdam ex eo requisitam, quod, corporalis forma coarctata, necessarium visum est alia ratione decentiae et ornatui altaris providere. Burchardus, Ivo et Gratianus Pii I Decretum referunt, huius tenoris: « Si super altare stillaverit calix, sorbeat minister stillam, et tribus diebus poeniteat, si super linteum altaris et ad aliud stilla pervenerit, quatuor diebus poeniteat, si usque ad quartum, viginti diebus poeniteat, et linteamina, quae tetigerit stilla, tribus vicibus minister abluat ». De tobaleis loquitur Ordo Romanus; et Menardius, ex antiquo Ordine Dedicationis Ecclesiae, benedictionem *linteaminum* refert. Ex modo isto loquendi palam fit, non modo tobaleas semper ex lino confectas fuisse, verum plures numero easdem extitisse.

Saepe in libris liturgicis nomina occurrunt aliorum utensilium, quorum usus lintea fuisse omnino suadet. Eiusmodi est *offertorium*, ad ansas calicis sublevandas adhibitum; *phanon*, quod plures cum *offertorio* confundunt, alii vero ad oblationes, recipi solitas in Missis, destinatum fuisse putant: at de his archaeologis sermo; nobis ad indumenta gradiendum.

Animadversionem praemittimus, quam Vicecomes exhibet, circa usum lini in ecclesiasticis indumentis; ait ille primitus inductum fuisse ex duabus rationibus, paupertatis nempe et modestiae, adeo ut et stolae et dalmaticae nec non casulae linteae praeferrentur. Ita Damasus et Walfridus Strabo referunt, S. Silvestrum Diaconis praecepisse, ut palla seu pallio linostino uterentur, stola videlicet ex lino confecta; et cum tunc temporis unica extiterit materia pro Stolis et pro casulis, et de his idem dicendum venit. Nec id, subsequentibus saeculis in desuetudinem abiit, et in quodam Ordine Romano VIII saeculi, fit mentio de

dalmatica linea quam Pontifex induebat, Diacono regionario ministrante. His tamen, veluti historicis monumentis, praelibatis, quae nunc linea indumenta supersunt, haec numerantur: *Amictus, alba et cingulum*, cetera, ad maius decus et magnificentiam in sacris, in serica generatim immutata sunt.

Amictus, ex latino verbo *amicire*, in Scripturis ut plurimum assumitur ad totum indumentum indicandum, unde: *amicti auro primo; velut amictum mutabis eos; amicti stolis albis*. At amictus in novae legis sacris actibus pro illa speciali linea vestis parte assumitur, quam minister in capite imponit, et super humeros defluere sinit. Amalarius Fortunatus (*lib. 2, de ecclesiast. offic. c. 40*) inquit: « Est primum indumentum nostrum quo collum undique cingimus ». De ipso loquuntur Rupertus Abbas, Hugo a S. Victore, Honorius Augustodunensis et alii non pauci. In veteribus libris, saepe *anagolagium* appellatur, *anaboladium*, *anagalagium*, et a Chrysostomo *amicale*, quae graecae voces sunt. Opportuna hic est Thomasini opinio, a Benedicto XIV relata (*De Sacrificio Missae*), quod nempe vestes quondam et laicis communes postea exclusivae factae sunt ecclesiasticorum. Hinc, prout notat Sansus, quia *amiculum* ad bonam et malam se porrigebat interpretationem, maluit Ecclesia *amictum* dicere, qui ad malam significationem transferri nequit. Usus amictus in S. Liturgia, ab antiquis quatenus vestis sacra, ignoratus, probabiliter introductus fuit in Ecclesia saeculo circiter VIII. Non desunt tamen auctores praetendentes, quibusdam in textibus antiquioribus, ad aliquas vestes sese referentibus designari amictum; sed ex simplicibus et obscuris allusionibus certas deducere consequentias tutum non putamus. Merito quidem in *Ephemeridibus Liturgicis* anni nuper elapsi illorum opinio refellitur, qui in amictu derivationem agnoscunt *ephod* hebraici, quocum amictus noster nil communis habet praeter materiam, et interdum etiam-

nomen: aeque merito dicitur, ad saeculum X tantummodo, ille ad caput cooperiendum deservisse, dum antea collum dumtaxat contegebat. Hoc autem factum fuit, ut maiori prospiceretur ministrorum decori, qui, cum vestibus uterentur nimis ad collum laxis, primitus linea fascia colli nuda protegere, ac deinceps ampliori linteo decentius amicire coeperunt; his munditiae et commoditatis rationes sese adiunxerunt. Anno 1607, cum Pauli V iussu, S. Leonis Magni sarcophagum apertum est, sacra spolia apparuerunt amictu ad scapulas contecta. Saeculo X ornatissimi usuvenerunt amictus, quorum superior pars caput contegere apta erat. Hoc latus ornabatur opere phrygio aut pinnato, sive amictui adhaerenti, aut cum vitta nobilis panni coniuncto, quod vocatum fuit parma vel auriphressium. Usus amictus in capite deferendi, fere generalis medio aevo, obsolere incoepit, cum Pius V novum edidit Missale, et nunc viget tantum apud Ordines Mendicantes, et in Ritu Romano vestigium remanet in Subdiaconi Ordinatione, et in actu, quo Sacerdos antequam amictum ad collum declinet, super caput prius imponit. Usu obsoleto amictus super caput deferendi, cessavit itidem usus praefati operis, quia superflui; et in praesens, nec semper, reducitur ad parvum textile reticulatum, et Crucem acu pictam in medio, quam Sacerdos antequam amictum sumat osculatur, quaeque gaudet, videtur, aliquali antiquitate. Vicecomes id deducit ex sequenti epigrammate Venantii Fortunati:

« Serica quae niveis agnava est blattea telis,
Ex textis crucibus magnificatur opus.
Sic cito Pontifici dedit haec devota voluntas,
Atque dicata cruci candida vela placent.

Ex Innocentio III argumentari datur vittas, quibuscum ligatur amictus, recentis non esse inventionis, namque *(De mysteriis Missae, c, 50, l. 1)* ait: « Duo vasculi idest ligulae quibus amictus ante pectus ligatur,

signant intentionem etc ». Omittimus inquirere, an amictus semper primum fuerit indumentum assumendum; hodie tantum Maronitae, Clerus Lugdunensis et Ambrosianus illum sumunt post cingulum, super albam, dum Latina Ecclesia considerat tamquam primum.

Loquentes nunc de eius materia, non negamus ab origine sericeos aut laneos invaluisse, verum communiter linum adhibitum fuit. Albinus Flaccus (*De divinis Officiis*) inquit: « Post Sandalia in Ecclesiae vestimentis sequitur superhumerale, quod fit ex lino purissimo ». Rabanus Maurus (*l. I. De Instit. Clericor., c. 15*): « Primum ergo eorum indumentum est Ephod Bad, quod interpretatur superhumerale lineum ». Quod tandem veneranda statuerat traditio lege sancitum est, ut nonnisi ex lino aut cannabe, Amictus conficiatur.

Alba, ita ex colore appellata, plura vindicavit sibi nomina, et apud veteres nuncupatam videmus vocabulo *poderis*, *lineae*, *camisiae*, *supparis*. Poderis nomen frequenter in sacris Scripturis invenitur ad tunicam indicandam. V. gr. in Ecclesiastico: « Si sequaris iustitiam apprehendes illam, et indues quasi poderem honoris ». In Apocalypsi: « Vidi similem filio hominis vestitum podere », S. Hieronymus in epistola ad Fabiolam, duas distinguit tunicarum species, unam Sacerdotibus cunctis communem, alteram Summi Pontificis propriam: haec hyacinthina erat, illa linea aut byssina, *chetan* nuncupata. Eius usus ab hebraeis ad nos derivavit, et apostolicum testimonium habemus notatu dignum. Scimus revera, S. Iacobum, fratrem Domini appellatum, aliis vestibus usum non fuisse, nisi lineis, quibus indutus divina celebrabat mysteria. S. Stephanus ministrare solitus S. Iacobo, sicuti Linus Petro, et Timotheus Paulo, stola seu tunica candida utebatur, eaque linea, quam S. Helena a Macario acceptam ad Silvestrum Episcopum Vesuntionensem misit. Multum disputatum fuit, non modo

circa formam primitivam, sed etiam utrum alba hodierna antiquae adamussim respondeat. Auctor Commentarii critico-historici super liturgica indumenta, diffuse quaestionem pertractat, concluditque, veterem albam, ex communi indumento, per varias mutationes originem dedisse rochetto, cottae, dalmaticae et albae nunc in usu. Quoad albae materiam, certum videtur, quamvis in usu communi haberentur et laneae, lineas tantummodo in Liturgia fuisse adhibitas. Innocensius III (*l. cit., c, 36*) ait : « Alba lineum vestimentum longissime distans a tunicis pelliceis, quae de mortuis animalibus fiunt, quibus Adam vestitus est post peccatum, novitatem vitae significat, quam Christus tribuit ». Et alibi *(c. 51)*: « Fit autem de bysso et lino propter quod scriptum est: byssum sunt iustificationes sanctorum ». Isidorus Hispalensis *(lib. 19 orig. c. 21)*: « Poderis est tunica sacerdotalis linea ». Idem affirmant Beda, Rabanus Maurus, Ivo Carnutentis. Concordant et universa testimonia ex libris liturgicis deducta, in quibus de lino, prouti de materia universaliter usitata, fit sermo.

Quoad *cingulum*, S. Hieronymus *(epist. ad Fab.)* scribit : « Tertium genus est vestimenti, quod illi (hebraei) appellant *abner*, nos cingulum vel baltheum vel zonam possumus dicere ». Derivare videtur et cingulum ex hebraicis moribus. Alba recepta, eaque ampliori, necessarium visum est eam ad lumbos restringere, ne gradienti impedimento fieret. Hoc sensu de eo loquitur Carolus Magnus : « Deinde sequitur zona, quae cingulum dicitur, qua restringitur poderis, ne laxe per pedes diffluat ». Et Rabanus Maurus : « Tertium vestimentum est cingulum sive batheum, quo utuntur ne tunica ipsa diffluat et gressum impediat ». Ad confirmandam eius in Liturgia antiquitatem, meminisse suficiat, praeter citatos textus, verba Gregorii Magni et Severi Alexandrini ; primus *(orat. 5)* ait : « Idcirco me Pontificem ungis et podere cin-

gis »; et alter *(de ordine oblationis)*: « Tunc cingulo lumbos suos cingit dicens ». Attamen certo determinare nequimus, qua conficeretur materia; et quamvis in cingulo antiquam hebreorum zonam videntes, supponere possimus illud lineum fuisse, argumenta non desunt, quibus opinari inducamur pretiosioris materiae extitisse, et ad speciem murenularum Canticorum. Hoc testatur Anastasius in vita Leonis III referens, Pontificem illum donasse « murenas prosinales pretiosissimas duas, item murenam trifidem auream, quae habet buticulos (orbiculi) trigintatres, item murenas tres mortuas cum pettinante earum (nempe monilia oblonga et radioli pettinatim inserti). Varius itidem erat color et forma; aliqua formam habebant fasciae, ut in antiquis musivis videtur apud Ciampinum. Saussay eruditum dedit commentarium super plura cingula celebriora; Ioannes Diaconus diffuse de eo loquitur, quod Gregorius Magnus gestaverat. Formam igitur et colorem Ecclesia non determinavit, unde etiamnum videmus cingula serica, lanea et linea, alba vel colorata, de quorum usu, an legitimus, inferius. Ad quaestionis complementum adnotamus et manipulum antiquitus lineum extitisse, cum ad sudorem lacrimasque abstergendas inserviret.

Aliquid innuemus circa symbolicas citatorum utensilium et indumentorum significationes. Corporale, Palla et Tobaleae mystice significant S. Sindonem, Sudarium aliaque linteamina, quibus involutum fuit Corpus Iesu in sepulcro. Durandus, Gavantus et fusius Honorius Augustodunensis de mystica amictus significatione loquuntur. Repraesentat ille velum ad vultum Domini appositum a tortoribus, et spineam coronam: item suam divinitatem absconditam. Oratio, quam praecipit Ecclesia dum capiti imponitur amictus, eius dat intelligere moralem sensum, galeam nempe salutis ad expugnandos diabolicos incursus, necnon castigationem vocis, iuxta Pontificale in ordina-

tione Subdiaconi. In alba videmus albam vestem qua Herodes induit Iesum populi ludibrio eum exponens. Sacerdos illam assumens dicit: « Dealba me, Domine et munda cor meum », munditiae innuens et gratiae, qua ornari debet anima illius. Repraesentat cingulum funes, quibus Christus vinctus fuit, et adhuc flagella, quae corpus eius percusserunt; castitatis quoque donum indicat, eo quod, sicut cingulum lumbos stringit, ita gratia Christi extinguit sensum omnem libidinis; unde Rabanus Maurus; « lineas induunt Sacerdotes ut castitatem habeant, accinguntur baltheis ne ipsa castitas sit remissa ».

2. Quaenam tela pro dictis indumentis, aliisque supra nominatis utensilibus, ex liturgica lege, sit praescripta, quaenam permissa, vel prohibita?

Non solum apud hebraeos, sed etiam apud Gentiles vestis ex lino index erat Religionis, unde Apuleius de lino loquens dicit: « Sacerdotalis est vestitus et amictus ». Herodotus (*l. 2. n. 46*) asserit Sacerdotes Aegyptios non potuisse vestes alterius materiae deferre. Nil mirum igitur talem introductum fuisse morem in Liturgia, qui longe lateque propagari coepit. Praeter lini cum passione relationem, sensus moralis laboris et afflictionis quem eius continet forma, ei ianuas aperuerunt Ecclesiae, quia, ut dicit Durandus (*l. 3, c. 1*): « Inde est quod potius lineis vestibus utuntur, quia sicut linum multo labore ad candorem perducitur, sic necesse est per multos labores ad regni gloriam pervenire ». Rationes plures convenientiae accessere, et praecipue confectionis facilitas, et nitor, qui evidentem facit omnem maculam. Hinc prius consuetudo, inde auctoritas ipsa Ecclesiae elaboravit complexum illud praeceptorum ad statuendum usum lini. Videmus iam mentem Ecclesiae in primordiis, restat ergo ultimas dispositiones percurrere. Iam ab anno 1664 S. R. C. ad usus contrarios tollendos usum lini praeceperat in utensilibus et indumentis liturgicis. Attamen eadem S.

C. die 15 Martii 1819 aliud edidit Decretum quod in nova Collectione legitur *(vol. II, n. 2600)*, cuius en tenor: « Decretum Generale. Quamvis S. R. C. in una Pisauren. sub die 15 Martii 1664 reprobaverit morem qui forte alicubi obtinuerat, conficiendi Amictus, Albas Tobaleas altarium, nec non Corporalia et Pallas ex tela quadam composita e lino et gossypio subtilissimo; nihilominus novissimis temporibus adeo invaluit abusus, ut constanti Ecclesiae disciplina posthabita, nonnullis in Ecclesiis non alia adhibeantur supellectilia vel ad sacrificanduum vel ad altarium usum nisi ex simplici gossypio confecta. Ad hanc corruptelam radicitus evellendam studia converterunt E.mi et R.mi D.ni Cardinales sacris tuendis ritibus praepositi: solliciti idcirco, ut quod usque ab Ecclesiae primordiis quoad sacra indumenta et supellectilia ob reales et mysticas significationes inductum est, retineatur, restituatur et in posterum omnino servetur, declararunt et decreverunt: « ab antiquo more non esse receden dum, et eadem sacra indumenta ac supellectilia conficienda esse ex lino aut ex cannabe, non autem ex alia quacumque materia; Et ita decreverunt ac ubique locorum, si SS. D. N. placuerit, servari mandarunt. Die 15 Martii 1819. Facta autem SS. D. N. relatione, Sanctitas Sua Decretum S. C. approbavit confirmavit, typisque editum publicari praecepit, ac praeterea iussit ut locorum Ordinarii eiusdem observantiae sedulo incumbant ». Verba Decreti non indigent declaratione, linum et cannabis ad exclusionem aliaram materiarum praescribuntur. Usus nihilominus in contrarium non defuere: ita Archiepiscopus Goanus proposuit dubia ad rem, N. **3455** relatum: « Dubium I. An usus in fere omnibus Ecclesiis Archidioeceseos Goanae adhuc vigens conficiendi sacra linteamina, nempe amictus, albas, tobaleas altarium, necnon corporalia, purificatoria et pallas ex tela e gossypio composita, attentis circumstantiis hodiernis, tam-

quam corruptela et abusus reiiciendus sit, iuxta Decretum gen. S. R. Cong. diei 15 Maii 1819, non obstantibus indultis olim concessis? Et in casu affirmativo: II. An licitum sit praedictis linteaminibus uti ad celebrandam Missam, cum conditione tamen intra biennium ea consumendi ad tramitem Generalis Decreti». S. Congregatio die 23 Iulii 1878 respondebat: «ad 1^{um} Affirmative, ad 2^{um} Negative quoad corporalia, purificatoria et pallas: affirmative ex gratia quoad amictus, albas ac tobaleas altarium». Pariter Decreto 13 Augusti 1895, in *Placentina*, N. **3868**, prohibuit usum telae dictae *Nipis*, tolerans tantum usum vestium et utensilium iam confectorum usquedum consumerentur. Adhibere autem pro S. Sacrificio telam formatam ex *Urtica nivea* vulgo *Hia-pou* dicta privilegium est, quo legi generali derogatur, ob assertam paupertatem.

3. Utrum iure merito Damianus scrupulis angatur? et num aliquid, quidque illi pro sua quiete suggerendum?

Summus Pontifex concessit Ecclesiis Vicariatus se-cinesis Decreto 27 Iunii 1898, **3995**; Decreto quod ob characterem peculiarem et tenorem extendi nequit de casu ad casum. Patet ergo, linum et cannabem, non aliud, esse debere materiam corporalis, pallae, purificatorii, tobalearum, albarum et amictuum, et permittitur, usque ad consumptionem, usus supellectilium ex *Nipis* confectorum, prohibitis omnino corporalibus pallis et purificatoriis ex gossypio, etiamsi iam existentibus. Decreto diei 22 Ianuarii 1901 vetitum quoque fuit pallam adhibere a parte superiori serico coopertam, verum hodie, quatenus palla sit ex lino, nihil interest si ex serico vel alia materia desuper cooperiatur. Neque prohibetur textili denticulato albas et tobaleas exornare; at quid dicendum de fundis transluccidis et coloratis? verum est S. R. C. Decreto 17 Augusti 1833 et 5 Decembris 1868 eos prohibuise; sed ex usu fere universali, serius tolerandos esse edi-

cere maluit in manicis albarum ; extat hoc in sensu Decretum in *Minoricen*, ad VII, diei 24 Novembris 1899, aliud in una *Romana*, *Resolutionis dubiorum*, d. d. 12 Iulii 1892 ad V confirmans. Quamvis, relate ad cingulum S. R. C., die 22 Ianuarii 1710 edixerit: « Sacerdotes concruentius utuntur cingulo lineo quam serico », idemque responderit die 20 Ianuarii 1871, certum est tamen cingula serica non esse prohibita, quinimo fieri et ex lana valent et eiusdem coloris ac sacra paramenta. Ita decretum 27 Decembris 1862 et 8 Iulii 1809.

Ex hucusque dictis patet nunc quomodo ad Damiani scrupula reponendum. Si forte is in Vicariatu degeret *Se-ciuensi*, conscientiam suam tutam facere posset Tobaleas ac indumenta supponens ex *Ho-ma* videlicet *Urtica nivea;* verumtamen ex casu eruitur agi de italicis regionibus, imo de alma Urbe ; hic nullimode acquiescere potest. Nec valet consuetudinem aut necessitatem usum *Nipis* introduxisse, quia ex Decreto generali nulla admittitur excusatio; abusus et corruptela igitur abolenda ; Ecclesiae obtemperandum sapienter cuncta sive ex historicis, sive mysticis rationibus ducta disponens. Ultimum vero comma Decreti in *Placentina* nec invocari potest ad iustificationem, cum agatur in casu de novis supellectilibus ex vetita materia confectis, quae, stante Decreto, in legis fraudem introducerentur. Linum et cannabis, nil aliud adhibendum : hac quidem ratione in animis quoque tardorum se insinuans, poterit Damianus noster sese a scrupulis liberare, ac S. Sacrificium sancte et plane liturgice celebrare.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Parisiis.* **De interpretatione Decreti 3756, collati cum alio 3924.** Iuxta primum ex duobus dictis Decretis **duplex II cl.** gaudet privilegio, ut transferri possit in semiduplex vel etiam duplex festum, *haud obstantibus diebus liberis postea subsequentibus.* Iuxta alterum Decretum denegatur hoc privilegium duplici I classis, quod proinde in primam diem liberam, fortasse etiam a festo satis remotum, transferendum est. Quid est hoc? Num dup. II cl. magis esse privilegiatum potest, quam dup. I classis?

Resp. Bis iam super hoc dubio disseruimus, nempe anno 1900, n. 10, pag. 615, V: et num. III vertentis anni 1901. Gaudemus nobis interim, quod R.mus Antistes N. rem uti explicavimus ita se habere iam sibi persuasum est, sicut nobis patefecit. Verum aliud simile nunc exurgit Dubium e Parisiis, per quod adm. Rev. Consulens adhuc inter duo praefata Decreta incohaerentiam se cernere ostendit. At re sane vera, et diximus et iteramus Decreta huiusmodi optime inter se cohaerere, ob rationem, ex qua dup. II cl. privilegio ditatur, et quae nullo pacto favet duplici I classis, nisi eodem in casu versaretur, quo versatur dupl. II classis. Haec autem ratio est impedimentum speciale, quod in duplici II cl. supponitur, et in duplici I cl. excluditur. Supponitur videlicet duplici II cl. locum in anni decursu non suppetere in Calendario, hypothesis autem ista non fit pro duplici I classis: quae si fieret, ditaretur et ipsum, et quidem a fortiori, eodem privilegio. Verum si possibile est, ut duplici II classis locus desit in Calendario, id de duplici I classis comprobari im-

possibile fere est. En momentum gravissimum, ex quo dup. II cl. peculiari ditatum est privilegio, quo dup. I classis ditari, nec potuit nec debuit. Hinc diversa dispositio utriusque Decreti, ut primum iure faveat duplici II classis, et alterum nequaquam faveat duplici I classis. Ratio namque privilegii, quod illi confertur, deest pro isto, cui proinde non datur, adeo ut hoc in casu servandae sint Rubricae de Translatione.

Nec valet ratio proximorum dierum postea subsequentium, qui sunt liberi; quid enim haec verba significant, iam in num. III vertentis anni *(loc. sup. cit.)* explicavimus per exemplum. Sunt nempe liberi, quatenus Officium novem lectionum non habent, et in iis reponi debent Officia impedita. Sed vero, cum Officia impedita reponenda, sint in casu plura quam dies liberi, et inter impedita Officia non desint aliqua duplicia II classis (Officia praestantiora), hinc est quod haec ultima, cum occupare nequirent nisi semiduplicia aut forte etiam duplicia minora, reponenda forent tantum post alia Officia inferioris ritus. Quod cum inordinationem sapiat, S. R. C Decreto 3756 edicit primo reponenda esse duplicia II classis, deinde alia ritus inferioris. Et sicut ad hunc assequendum finem, semiduplicia vel duplicia necessario sunt simplificanda, id Sacrum Tribunal fieri permittit, quamvis alii dies liberi subsequentes suppetant, in quibus tamen alia Officia inferiora reponi debent. Ergo necessitas ordinis requirit in casu, ut pro reponendis duplicibus II classis ante alia inferiora Officia, dies liberi postea subsequentes relinquantur. Qui tamen dies ita sunt liberi, ut aliis officiis inferioribus reponendis inservire debeant, atque ita omnia impedita officia locum in Calendario habeant. Comprobetur casus iste quod attinet duplex aliquod I classis, et admittemus pro eo idem privilegium, quod pro duplici II cl. concessum est. Sed quoadusque hoc comprobari nequeat, tertio

reponimus (speramusque fore ut sufficiat), duo Decreta, de quibus inquiritur, optime inter se cohaerere, et iure Decretum 3756 duplici II classis concedere privilegium, quod 3924 duplici I classis denegat. Haec adm. Rev. Consulens serio perpendat, conferatque cum alibi dictis, sibique persuadebit, ita et non aliter se potuisse S. R. Cong.nem gerere ac debuisse.

II. *Ex Abbatia Conceptionis.* **De Commemoratione in concursu inter festa Annuntiationis Deiparae, et Sacrae Familiae.** Sacra Familia et Annuntiatione concurrentibus, omittenda ne huius commemoratio?

Resp. Decretum habemus, quod prima fronte videtur ad rem facere, estque in una *Urbis* ad III (n. 5042). Declarat enim, concurrentibus simul festo Sacrae Familiae et Desponsatione Deiparae, huius commemorationem esse omittendam. Ex quo sequi videtur, positis Vesperis de altero festo, alterius commemorationem omittendam esse; at casus propositus eiusmodi est, ut dictum Decretum applicari nequeat. Nam Vesperae in primo casu de Sacra Familia sunt dicendae, in qua includitur Deipara, cuius proinde com. sapienter omitti statutum est. At in nostro Vesperae integrae esse debent de Annuntiationis festo quod Dominum, per se saltem, non includit, et com. omitteretur de Sacra Familia, cuius principaliter dignitas a Christo desumitur, qui praecipuam illius personam constituit. Praeterea iure in primo casu omittitur com. Deiparae, quia ad eius omissionem sufficit identitas personae in festo. At in nostro, cum habeatur festum complexum, non potest omitti com. Deiparae, quin omittatur com. Domini, ad cuius omissionem requiritur identitas, non solum personae, sed etiam obiecti, ex quibus certe ultimum deest. Cum itaque Vesperae indubie fieri debeant de festo Deiparae, commemorationem Sacrae Familiae omittendam esse non credimus.

Obiicere potes, festum Annuntiationis esse festum, non solum Deiparae, sed et Domini; ut potius Incarnationis Christi appellari possit. Non negamus; sed Ecclesia praecipue commemorat in hoc festo almam Virginem in Dei Matrem electam. Ceterum, hoc quoque admisso, cum festum Annuntiationis spectaret Christum incarnatum, et festum Sacrae Familiae exempla tam a Matre et putativo Patre, quam a Christo puero nobis exhibita et imitanda, staret semper ratio commemorationis de hoc festo agendae; quia haberetur identitas personae, non vero obiecti festi. Aliunde in antiphona et versu ad *Magnificat*, ne verbum quidem de parentibus Iesu, et in Oratione vix nominantur in obliquo ut ita dicamus; ac proinde *bis in idem* vix comprobari posse dicendum est. Quibus ita se habentibus, concludimus potius pro commemoratione agenda, quam pro ea omittenda, quamvis omni cum certitudine id affirmare non possimus.

III. *Ex America*. **De festo patronali S. Thomae Aquinatis pro scholis**. Quid sibi velit elevatio Festi S. Thomae Aquin. Doct. ad ritum I cl. pro studiosis? *a*) Utrum in Ecclesia Monasterii cuiusdam, cui adnexum est Collegium et Seminarium, celebrari *debeat* Missa de S. Thoma?— *b*) Anno sequenti transfertur festum S. Thomae ob occurrentiam festi SS. Quinque Vulnerum D. N. I. C. quaeritur utrum studiosi Seminarii saeculares teneantur dicere Officium S. Thomae, et utrum Missa in dicta Ecclesia debeat vel possit fieri de S. Thoma? Ecclesia est quidem Religiosorum (non tamen pro Officio dicendo), sed ea utuntur etiam studiosi Collegii et Seminarii.

Resp. Patronus huiusmodi non iisdem iuribus gaudet ac Patroni locorum, uti ex gr. S. Ioseph pro universa Ecclesia, S. Ianuarius pro Neapoli, vel pro toto regno Neapolitano etc. De his enim universus, vel relativus clerus, tenetur celebrare festum solemnius cum Officio et Missa,

sub ritu dup. I cl. cum octava, nisi ratione temporis ista careat, uti de S. Ioseph comprobatur. S. Thomas a Leone Pp. XIII datus est Patronus, non loco, sed personis, neque omnibus, sed peculiari coetui personarum, seu omnium eorum, qui studiis scholasticis sunt addicti: hi autem omnes impossibile est ut illud celebrare valeant cum Officio et Missa, uti patet. Aliquibus nihilominus gaudet iuribus S. Patronus Aquinas, sub cuius protectionem studentes sunt: quae iura rediguntur ad solemnem Missam, tamquam de Patrono, hoc est sub ritu solemniori, ac si Officium sub ritu dup. I cl. recitatum fuisset. Haec tamen de praecepto non est dicenda, sed ex devotione, de Patrono enim agitur, qui scholasticis universis datum est, sicuti dantur Patroni aliis peculiaribus coetibus, qui ex talis assignatione Patroni nullam obligationem contrahunt. Eapropter vi huiusce patronatus in omnibus Oratoriis vel Ecclesiis Scholarum, Gymnasiorum, Universitatum, die 7 Martii de S. Thoma Patrono decantari poterit Missa sub ritu solemniori, nihilque aliud. Officium enim unicuique ex obligatis recitare fas est iuxta Calendarium, quod tenetur sequi; et nulla ex Ecclesiis nullumque ex Oratoriis Scholarum, Gymnasiorum vel Universitatum, **qua talis**, ius habet ad Calendarium, dicti de causa Patroni, variandum, quia Clerum habere non potest.

Hinc patet responsio ad alterum quaesitum, ut scilicet in casu liturgicae translationis S. Thomae, ob occurrentiam festi Quinque Vulnerum superioris ritus, in dictis Ecclesiis et Oratoriis Missa, ut supra celebrari possit. Quamvis enim Officium transferatur, festum diei suae manet affixum, in eoque optime, iuxta concesssionem, celebrari potest Missa.

IV. *E Belgio*. **De commemoratione SS. Cordis Titularis omittenda in feriali Officio, cum fiat de Cruce.** Ubi SS. Cor Iesu est Titulus Ecclesiae, fitque Officium feriale,

quaenam ex duabus com. omittenda erit in suffragiis, an de Titulari, an de Cruce?

Resp. Adm. Rev. Consulens iure supponit utramque non agendam, sed alterutram; namque apprime nota sunt Decreta **3675** ad 3, 4043 ad 2, **3792** ad 8, **3844** ad 5, quae declarant Crucem et Passionem, uti et Sacramentum, quod eiusdem Passionis est memoriale, in idem coincidere obiectum: ut si de iisdem fieret simul commemoratio, haberetur *bis in idem*, quod non admittitur. Porro cum dicimus Cor Iesu, obiecto materiali spectato, dicimus quodammodo, partialiter saltem, Sacramentum; in hoc enim habemus totum Christi Corpus, dum in illo habemus eiusdem Corporis partem. Hinc si de Cruce simul et de SS. Corde com. facienda esset, *bis in idem* pariter haberetur: et hoc supponitur. Utra ergo, quaeritur, com. facienda quando, in casu, celebratur Officium feriale?

Equidem generalis est norma, ut quando duae commemorationes, ob identitatem obiecti fieri nequeunt, sed alterutra est omittenda, illa non omittatur, quae omnibus inspectis, maioris est considerationis. In casu autem videretur maiorem merere considerationem quae pertinet ad Cor Iesu, quod Titularem constituit Ecclesiae; ea enim de festo est, dum altera est tantum de feria. At, ni fallimur, perpendendum est in casu proposito, Officium fieri de feria, et commemorationem eiusdem feriae primas tenere, utpote ferialis Officii omnino propriam, cuius est indicium, ait Gavantus. Ea namque et tantum in dicto Officio dicitur, et etiam quando non dicuntur preces, uti Rubrica specialis notat. Imo quando aliae commemorationes omittendae sunt, uti tempore paschali, Rubrica praescribit, com. de Cruce omitti non debet. Hinc huiusmodi com. prima dicenda ante omnes alias in feriali Officio. Quae profecto omnia ac singula de Titulari nequeunt

comprobari, ut proinde com. de Cruce nobis praestare videatur in casu.

Hinc notabilia, si com. de Cruce omittatur, sequuntur incommoda. Nam *a*) omitteretur com. quae indicat feriale Officium : *b*) com. omitteretur, quae prima est in ordine: *c*) illa hinc omitteretur, quae secundum regulam generalem dicenda est, aliamque excludit, si de eodem est. Itaque, cum aliunde com. de SS. Corde Iesu includatur in commemoratione Crucis, concludendum censemus, illam esse omittendam, hanc vero faciendam. Ita salvo meliori iudicio.

V. *E' Lingone.* **De contradictione hypothetica duorum Decretorum.** Decretum 3755 ad 3 declarat impedita, pro Missa prima post acceptum nuntium obitus, duplicia II classis : Decretum 3112 ad 1 declarat pro Missa diei obitus duplicia II classis non esse impedita. Quid ?

Resp. Mirabuntur lectores, Dubium propositum agere de contradictione, quamvis hypothetica, dum interim illius expositio nullam contradictionem importat. Sed ita nos studio exponere Dubium censuimus, quamvis aliter a cl. Consulente exponatur, ut statim vel ictu oculi ipsimet Consulenti innotescat, difficultatem esse prorsus nullam, et contradictionem vix hypotheticam appellari posse. Cl. obiiciens sequenti modo Dubium proponit : « Quomodo possunt quadrare Decretum 3755 ad 3, et Decretum 3112 ad 1, uno admittente festa II classis, et altero repellente ? » Nonne ergo contradictio inter utrumque supponitur ? At, sodes, contradictio importat affirmationem et negationem de eodem et sub eodem respectu : in casu autem nec de eodem agitur, neque sub eodem respectu. Non primum; quia obiectum Decreti 3755 ad 3 est Missa in cantu post acceptum nuntium obitus, et obiectum Decreti 3112 ad 1 est Missa in cantu de die obitus, quae die sua impeditur, aliâque die permittitur. En verba Decreti primi : « III. De-

nique eadem Missa celebrari poterit pro prima tantum vice post obitum vel eius acceptum a locis dissitis nuntium ». En verba Decreti alterius: « Ad 1. In casu *(id est*: An non celebrata Missa de requie, *praesente cadavere*..... ea celebrari possit die vel tertia, vel septima, vel trigesima?)..., permittitur una Missa solemnis de requie cum Absolutione et precibus..., etiamsi cadaver ob civiles praescriptiones non sit praesens ». Atqui Missa post acceptum nuntium obitus, et Missa de die obitus, toto caelo differunt; ergo repugnat affirmatio et negatio de eodem. Est proinde etiam impossibilis affirmatio et negatio sub eodem respectu. Siquidem illa permittitur in duplicibus primae cl. et festis de praecepto, ista vero iisdem diebus prohibetur.

Neque dicas, eamdem Missam eiusdem propemodum esse naturae, quatenus utraque est prima post obitum, et dicenda ut in die obitus. Id enim vehementer negamus. Pro illa namque ponuntur aliquae limitationes, quae locum pro ista non habent: adeo ut in ipsis duplicibus primae cl. imo et festivis in foro (solemnioribus exceptis) haec haberi possit, non autem illa. Haec vere prima est post obitum: non vero illa, quae aliam de die obitus cantatam facile supponit, cantari enim nequit, nisi post acceptam mortis notitiam e locis dissitis. Ergo concludendum, duo praefata Decreta optime inter se cohaerere, et nullam, ne speciosam quidem, contradictionem importare.

Nota. Interpretatio Decreti **3853** circa festum impediens, quod esse non deberet dies octava alterius festi, ac proinde esse deberet sine octava, magis quam exhibita ab Ephemeridibus (*an. 1899, pag. 581*), nobis arridet: negotium perpendemus, opportunoque tempore declarabimus.

VI. *E. Lincio.* **Quaestiunculae super Concurrentia et Occurrentia.** 1. Festo mobili *primario* Deiparae de Perpetuo Succursu *(dup. 1. cl. cum oct.)* nonne praeferendum

est festum S. Ioannis Baptistae, analogice, ut videtur, ad Decretum **3694** ad *3*?

Resp. Affirmative. Sed nota interim, Decretum praefatum anteposuisse S. Ioseph, Sponsum almae Virginis, S. Archangelo Gabrieli, non ratione dignitatis personae, sed ratione dignitatis festi. Festa enim solemniora universalis Ecclesiae primam categoriam festorum constituunt, quae nulli alii festo cedunt, neque in concursu, neque in occursu, utpote a Rubricis praescripta solemniorique ratione celebranda in toto orbe. Haec unica ratio praelationis S. Ioseph S. Archangelo Gabrieli, qui ceterum ratione dignitatis illi praevaleret, uti videre est in Rubrica (*Tit. X, n. 1: Tit. XI, n. 2*). Hinc ipsa festa patronalia, quae solemniora sunt quidem, sed localia, omnia cedere debent festis solemnioribus, de quibus superius, sunt enim potiora, non tamen, ut supra, ratione dignitatis personalis, sed ratione dignitatis festi. Adeo ut si ex tribus festis solemnioribus localibus (Dedicatio, Patronus et Titulus) celebraretur ex. gr. SS.mus Salvator, et ex solemnioribus universalis Ecclesiae celebraretur festum Ss. Apostolorum Petri et Pauli, quod solemniorum est ultimum, istud indubie illi praevaleret, neglecta proinde personali dignitate. Festa autem solemniora localia secundam categoriam constituunt festorum, quae solemnioribus tantum universalis Ecclesiae cedunt, et reliquis omnibus praeferuntur. Sed huius praelationis ratio, non est dignitas personalis, sed dignitas festi quae in loco ceteris est potior. Adeo ut, si Titulus propriae Ecclesiae est ex. gr. S. Elisabeth Vidua, et aliud concurrens vel occurrens festum esset ex. gr. ipse Christus Dominus sub quocumque titulo, hoc festum illi citra quamcumque controversiam cederet.

Inferes: *a*) Cum festa solemniora universalis Ecclesiae semper et aliis quibuscumque festis praevaleant, legibus per Rubricas statutis de occurrentia et concurrentia su-

biacent quidem, sed tunc tantum, quum inter se occurrunt vel concurrunt. Cum vero occurrunt concurruntve cum aliis quibuscumque, clausis oculis ea semper esse praeferenda, legibus quibusvis neglectis. *b*) Idem dicas de festis tribus solemnioribus in loco, si occurrant vel concurrant cum aliis, quae solemniora non sint universalis Ecclesiae: ea videlicet, quavis ratione posthabita, omnibus praeferuntur. *c*) In festis vero reliquis, quae tertiam categoriam constituunt, notae Rubricarum leges applicari solum possunt ac debent, et super iis discussio suboriri potest circa alterutrorum praelationem. Qua praelatione gaudent: 1 festa superioris ritus prae aliis ritus inferioris: 2 in paritate ritus festa primaria prae secundariis: 3 ritu et primarii vel secundarii qualitate paribus, festa praeferuntur potiora dignitate personali: 4 si in hoc quoque sint paria, festa fixa praeferuntur aliis, quae mobilia sunt: 5 denique, ceteris paribus, quae magis sunt propria festis minus propriis sunt praeferenda *(Rubr. Gen. Brev. Tit. X, n. 6)*. Sed nota, qualitates fixi et proprii vim habere in occursu, nullam in concursu (*Tit. XI*).

His statutis, nullius laboris est certa resolutio quaesituum, quos adm. Rev. Consulens proponit, quosque proinde breviori calamo resolvemus.

2. Pragae die 14 Iun. 1901 concurrit festum SS. Cordis Iesu cum festo S. Viti Mart. (Tit. Eccl. Cathedr.) utrumque dupl. 1 classis: quomodo Vesperae ordinandae, sive intra, sive extra Cathedralem Ecclesiam?

Resp. Festum SS. Cordis est secundarium, S. Viti festum est primarium, saltem intra Cathedralem; ergo, intra eam Vesperae integrae erunt de S. Vito, et fiet com. de SS. Corde. Extra Cathedralem vero Tituli festum est secundarium; ergo, cum ritu et secundarii qualitate sint paria remanet spectanda personalis dignitatas, quae favet

festo Domini. Ergo integrae Vesperae erunt de SS. Corde cum commemoratione S. Viti Mart.

Easdem normas applices pro occurrentia: ut, si simul occurrant intra Cathedralem fiat de S. Vito, et festum SS. Cordis transferatur: extra, oppositum faciendum sit.

3. Concurrunt simul in Ordine Carmelitico S. Eliseus Proph. et S. Maria Magdal. de Pazzis, utrumque translatum, primarium et dupl. II classis: quomodo ordinandae Vesperae?

Resp. Utrumque est eiusdem ritus, utrumque primarium, utrumque sine dignitate, remanet fixi aut mobilis qualitas, de qua silet dubium, ut utrumque fixum aut mobile supponere possimus. Adest ne pro S. Eliseo maior proprietas in Ordine Carmelitico? Si affirmative, Vesperae integrae erunt de eo cum commemoratione S. M. Magdalenae: si negative, Vesperae dividentur.

4. Si festum S. Ioseph transferatur, et concurrat cum duplici I cl. primario occurrente, quomodo ordinandae sunt Vesperae?

Resp. Dispositio Decreti 3807 respicit occurrentiam, non vero concurrentiam, S. Ioseph translati cum alio quocumque festo, primario tamen et occurrente, eiusdem ritus. Ergo illa applicari non potest nec debet ad concurrentiam.

a) Non enim convenire iudicatum est, ut pro Officio recolendo transferatur festum; si namque illud adhuc reponatur, parum incommodi est, cum extra diem suam semper eo anno celebrari necessum sit; at magnum est inconveniens si pro illo amoveatur a die sua aliud festum primarium, eiusdem ritus, et occurrens, cum hoc in casu duo pro uno festa translata haberentur.

b) Quamvis potior censeatur dignitas S. Ioseph, eius nihilominus festum iam celebratum est, et quidem per feriationem: adeo ut non sit conveniens ut pro solo illius Of-

ficio duplex aliud I classis primarium et occurrens festum quamvis personali dignitate inferius, transferatur.

c) Quae occurrentiae favent pro ulteriori repositione Officii S. Ioseph, uti etiam S. Ioannis Baptistae et Annuntiationis, non favent concurrentiae; quia Officium in hoc casu vere recolitur pro utroque Sancto translato et occurrente, quamvis pro minore parte quod attinet minus dignum.

d) Denique in concursu nullum unquam adfuit discrimen inter festum et Officium: adeo ut si haec fieret distinctio, et festum prae Officio integras in paritate ritus haberet Vesperas, quid novum exurgeret in Rubricisque inusitatum, quod proinde respuendum est.

Consequenter, concurrente Officio S. Ioseph et alio festo primario eiusdem ritus, Vesperae integrae esse debent de eodem S. Ioseph cum commemoratione alterius, iuxta Rubricas.

VII. *E Gallia*. **De occursu et concursu Patroni et Dedicationis.** Quid agendum quando S. Martinus Patronus occurrit aut concurrit cum Dedicatione omnium Ecclesiarum?

Resp. Distinguendum est inter Dedicationis anniversarium, quod recolitur in Ecclesia consecrata, et quod recolitur in Ecclesia non consecrata, sed tantum solemniter benedicta; illud enim est festum primarium, istud vero secundarium. Adeo ut, sicuti optime notat adm. Rev. Consulens, in Ecclesiis consecratis die 11 Nov. fieri debeat de Dedicatione, utpote festo primario, quod praevalet S. Martino; et die insequenti, quae libera sit, fiat de S. Martino, de quo in secundis Vesperis agitur commemoratio (1). Duabus octavis decurrentibus, com. Dedicationis

(1) In Officio et Missa de Dedicatione fieri non debet, ex iure communi, commemoratio de Patrono, nisi in II Vesperis ratione concurrentiae. Hinc dicta com. fieri tantum potest ratione privilegii fortasse eo quod eius solemnitas in sequentem Dominicam transfertur.

primas habet prae commemoratione Patroni. Die vero XVIII Nov. faciendum de Dedicatione, in cuius II Vesperis fiet com. sequentis, hoc est S. Patroni.

In Ecclesiis autem non consecratis, pro quibus Dedicatio est festum secundarium, est enim de Ecclesia non propria, Dedicationi praevalet S. Martinus, cuius festum indubie primarium est. In his ergo die 11 Nov. festum celebrabitur S. Martini, et die insequenti, quae libera sit, de festo Dedicationis fiet, de quo proinde in II Vesperis S. Martini com. agitur. In duarum autem octavarum decursu com. S. Patroni praevalebit commemorationi Dedicationis. Die vero XVIII fiet de S. Patrono, in cuius II Vesperis habebitur com. de Dedicatione.

Haec quidem ex iure communi, secundum quod festa quaecumque impedita in primam diem liberam reponi debent. Quod si habeatur privilegium reponendi Dedicationis festum in sequentem Dominicam, notae servandae sunt quoque leges de translatione festorum ac de commemorationibus; sed quae statutae fuerunt in Decreto **3754**, ad hunc casum applicari nequeunt: aliunde Decretum istud declarat quaenam sint festa, quorum transferri potest ac debet solemnitas; sed inter illas, sicut Titularis Ecclesiae non reperitur, ita nec Dedicatio, utpote quae ad feriationem ius non habeat. Ceterum, si in Dominicam sequentem ex privilegio transferatur Dedicatio, com. S. Martini omittenda est ex iure communi, quod praedicat commemorationem de infra octavam in omnibus duplicibus classicis omittendam esse.

Duplex autem hic agi potest quaestio, quarum prima est: an in Ecclesia consecrata agi revera debeat de Dedicatione, translato Patrono, an agi possit de Patrono, Dedicatione translata. Ratio dubitandi est, quia Decretum gen. **3754** ad II *permittit, ut Patroni festum, cuiuscumque sit dignitatis personalis, ratione feriationis praedicto An-*

versario (Dedicationis) **praeferatur**. At credimus affirmative reponendum esse ad primam quaestionis partem, ad alteram vero negative; quia in casu ratio praelationis, nempe feriatio, minime comprobatur. Aliunde Patroni celebratio esset in favorem populi, ut facile possit illum honorare, seu cum Missa de illo audienda, qua et praecepto satisfaceret, seu cum aliis functionibus sacris, quibus adesse potest. Iam nunc, feriatione sublata, praedicta momenta nullam amplius vim possident. Insuper, hac de causa, patronalis festi solemnitas ut in sequentem Dominicam transferatur, sapienter provisum est: ut etiam ratio de iuribus liturgicis, quae festa non amittunt ex amissione feriationis, nihil prorsus ad rem nostram facere valeat.

Altera quaestio respicit distinctionem inter Dedicationem Ecclesiae propriae et non propriae, utpote non sustinenda pro Gallia: in qua ab immemorabili, seu a duobus saeculis, Anniversarium Dedicationis uti festum solemnissimum habitum est, alii festo etiam patronali non cedens, et non celebratur, ut alibi, festum alicuius Ecclesiae particularis, sed festum Dedicationis omnium Ecclesiarum territorii Reipublicae gallicae. Verum quantum videmus, et Gallia tenetur dictae Dedicationis festum agere, nec plus nec minus, sicut reliquae Ecclesiae. *a)* Quia idem festum Dedicationis, quod in Ecclesiis Galliarum agitur, agitur et in aliis Ecclesiis; ergo eodem modo ac reliquae illud et Gallia tenetur agere. *b)* Si solemnissimum est in Gallia, solemnissimum est etiam in omnibus aliis Ecclesiis orbis; atqui omnes et singulae distinctionem praefatam admittunt, ergo et Gallia eam admittere debet. *c)* Si Gallia ab immemorabili, seu a die 9 Aprilis an. 1802, vi Indulti per E.mum Caprara promulgati tenetur dictum festum celebrare per omnes Ecclesias uno eodemque die, festum idem in uno eodemque die celebrare tenentur aliae plures Ecclesiae multarum Communitatum et Dioecesum. Quae tamen omnes

cum dictam distinctionem admittant, eamdem et Galliam admittere necesse est. Quod autem in Gallia antiquius eiusmodi festum esse possit, parum vel nihil interest, quia festi natura non mutatur. *d*) Distinctio Dedicationis in festum primarium et secundarium, prout Ecclesiae propriae vel non propriae, recentius firmata solemnius est per Gen. Decretum, quod non adest ratio sufficiens ut applicari non possit ac debeat ad Dedicationem omnium Ecclesiarum. *e)* Gen. Decretum, et quidem recentius, edicit: « Quod si alicui Dioecesi concessum sit anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum uno eodemque die celebrare, omnes et singuli de relativo Clero, quibus Indultum favet, dictum festum celebrabunt sub ritu duplicis primae classis cum Octava, sive Ecclesia propria consecrata, sive benedicta tantum fuerit (*3863 ad III)* ». Quod ita intelligendum est, ut clerus Ecclesiae consecratae celebret Dedicationem Ecclesiae propriae; et clerus Ecclesiae non consecratae, aut nulli Ecclesiae adscriptus Dedicationem celebret principalis Ecclesiae loci. Ergo, sive celebretur dictum anniversarium ab omnibus uno eodemque die conglobatim, sive separatim diversis diebus, in idem semper festum rei ncidit, idemque est festum. Atqui Gen. Decreto recentiorique declaratum est, Anniversarium Dedicationis Ecclesiae propriae esse primarium, Ecclesiae non propriae esse secundarium (*3881 ad III)*. Ergo quicumque ex Clero dictam Dedicationem, et quocumque modo celebret, praefatam distinctionem debet admittere. Ergo etiam Gallia distinctionem eamdem fas est admittat, ut si Clerus celebret Dedicationem propriae, uti festum primarium: si celebret Dedicationem Ecclesiae non propriae, uti secundarium celebrare debeat. *f)* Denique ius Liturgicum, quod universas afficit Ecclesias, et Galliarum debet afficere, nisi contrarium constet; atqui de exceptione huiusmodi ne verbum quidem in iure habetur, ergo Galliarum Ec-

clesiae universae in eádem ac reliquae conditione versantur.

Nota Ad Dubium ex *Hispania*, num. praeterito, pag. 216, doctrinae subscripsimus, quam sequens Directorium divini Officii cuiusdam Ecclesiae, unicam canendam esse decisam docet occurrente facto Expectationis Partus cum feria quarta Q. T. Adventus. At, re penitius considerata, cum legem, magis quam pateat, extendere non liceat, et in casu *bis in idem* plene non comprobetur, recedere a sententia statuimus. Plures quippe notari queunt inter duos praefatas Missas differentiae, cum habeantur Orationes diversae et Offertorium, in altera dicendus est Hymnus Angelicus et Symbolum, in altera minime.... Novimus porro, etiam vel levem immutationem rationem ex *bis in idem* desumptam destruere, ut accidit v. gr. inter antiphonam Confessoris Pontificis et aliam Confessoris non Pontificis ad laudes, in quibus postrema tantum verba diversa sunt: *Dixit Dominus* habetur in prima, in altera : *intra in gaudium Domini tui*. Additur et ratio gravissima benefactores fructu applicationis Sacrificii non fraudandi, lege generali apprime observando. Hinc retinendendum est potius, doctrinam a Directorio tradito non sustineri. In sequenti numero negotium authentice declarabitur.

Iisdem de causis emendandum quod dictum est num. XVIII inter *Breviora Responsa*, adeo ut Conventualis Missa omitti non debeat in casu.

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Rucupis in Anglia*. 1. Iuxta ritum Missae celebrans post suam, fideliumque, si ea haberi debeat, communionem, non antea, legere debet partem illam Missae, nuncupatam *Communio*. Respondetque antiquissimo ritui,

ex quo Diaconus, Corporis et Sanguinis Domini participatione absoluta, signum crucis faciebat, ad quod Scholae Cantor Gloriam Trinitati psallebat. Haec formula Orationis dicebatur diciturque adhuc *Communio*. Ita Card. Bona, lib. II, Cap. XX, § II, *Rer. Liturg.* Hinc Rubrica Missalis ait: « Diaconus purificationem eis ministret. Interim a choro cantatur antiphona, quae dicitur: **Communio** (*Rit. cel. Miss. Tit. X, n. 9*) ». Non ergo dum distribuitur, sed post distributam Eucharistiam, cantanda est Communio.

2. Non videmus rationem, ex qua Cappellanus serviens Missae privatae Episcopi, si communio fidelium haberi debeat, aperire debeat tabernaculum: hoc enim optime per se Episcopus aperire potest, et aliunde solemnitas, quae adest in Missa pontificali, deest in privata, quae hunc actum minus videtur exigere. Ceterum Cappellanus, qui sine stola Episcopi Missae inservire debet (*Valentina, n.* **2741** — 4778, *12 Mart. 1836*), si pro hoc tantum actu stolam assumere debeat, ea erit coloris paramentorum Celebrantis vel albi: cuius ultimi coloris erit semper, si Episcopus Missam de requie ageret, cum enim nigri esse nequeat, nil consultius quam color Sacramenti proprius. Id erui potest ex Decreto, eiusque spiritu, quod habetur in *Antibaren.* num. 3499 (5788) ad 1.

3. Color stolae adhibendus in benedictione S. Blasii, rubeus est, functio enim Martyrem respicit, sicuti color stolae vel pluvialis eiusdem esset coloris, si in illius honorem fieret processio, et dicitur Missa. In ea benedictione nullum fit *manu* signum crucis, sed cum candela vel candelis ad guttur, quod ungitur, iuxta locorum consuetudinem.

II. *Pro Abbatia Conceptionis.* Festum reparationis iniuriarum, SS. Eucharistiae illatarum, colorem fert album; quia Officium et Missa de Sacramento sunt. Non

obstat ratio passionis, ad quam formulae plures referuntur, id enim et habetur in altero ex Officiis Sacratissimi Cordis Iesu, in quo tamen idem adhibendus est color.

III. *Pro America et Verona.* Quaeritur num addenda sit Oratio de SS. Iesu Corde in Missa de festo Domini vel de duplici I classis, quae Missam votivam de eodem SS. Corde impediunt in feria VI primae hebdomadae mensis? Respondemus negative, cum nulla lege vel praescribatur vel permittatur. Fortasse id fieret ad similitudinem Orationis de Sacramento, quum Missa pro Oratione 40 Horarum impeditur; sed haec Missa est praeceptiva, saltem in Urbe, ut impedita iure suppleatur per commemorationem. At Missa votiva de SS. Corde est indulta, adeo ut quando impeditur, simpliciter omittenda, legique sit standum.

IV. *Pro Belgio.* 1. Color paramentorum pro benedictione SS. Sacramenti debet esse albus, quem Sacramentum ipsum postulat. Si tamen benedictio danda sit immediate post aliquam functionem, **adhiberi potest** eiusdem functionis color: quamvis ad abacum Celebrans pergere debeat, ut pluviale assumat. Diximus **adhiberi potest**, et intulimus ex pluribus Decretis inter se collatis, **2562**, **3175** ad 3, **3559**, **3949**, **1615** ad 6. Si vero in sacrarium sit redeundum Celebranti, color debet omnino esse albus, et quaevis libertas iure cessat. Excipe si aliquando ab Episcopo praecipiatur pro re gravi, aut publica Ecclesiae causa.

2. Rubrica Breviarii dicit, extra chorum non adesse praeceptum dicendi antiphonam finalem in fine Horarum minorum: de Officio in Communi pro religiosis Familiis ad chorum non obligatis silet. Verum convenit omnino, ut eodem modo se gerant, sicut in aliis, ita in hac antiphona dicenda, quoties a choro, seu a similitudine chori discedendum sit: haec est disciplina, quae generaliter et lau-

dabiliter servatur, quamvis, severe loquendo, praeceptum ita se gerendi adesse non possit asseri.

3. Lex est generalis et servanda, imagines omnes altarium Ecclesiae, ad cultum quidem expositas, non ad ornatum, esse cooperiendas tempore Passionis; ergo et Imago Virginis perdolentis. Dantur tantum pro eius Statua Decreta, quibus permittitur, nocte feriae V in Coena Domini, nigro velo illam circumdatam exponi posse, et feria VI in Parasceve in processione deferri (**2375** ad 4: **2682** ad 52).

V. *Pro Verona.* Crux hastilis habere debet Crucifixum, quippe qui in illa supponitur. Ita Decretum 1538 (2732), ad 1, Crucem in processionibus exigit cum Crucifixo verso, non ad deferentem, sed ad praeeuntes. Crux archiepiscopalis esse debet cum Crucifixo verso ad Subdiaconum deferentem illam (*Caerem. Episc. Lib. I, Cap. 15, n. 8).* Crux Capituli (docet De Herdt) semper defertur cum Crucifixo praeeunte, atque ita semper ex lege generali (*Prax. pont. Tom. 1, n. 82, 2*). Quod ex nuper citato Decreto ad Crucem applicat pro associatione cadaveris deferenda (*Prax. Liturg. Tom. III, n. 318*). Alia non est communis ubique servata praxis, docent enim universi periti, Crucifixum praeire debere.

VI. *Pro Caldario.* 1. Titularis festum Cathedralis Ecclesiae simile est alteri festo de Dedicatione: adeo ut sicut istud, ita illud in Ecclesia sit primarium, extra Ecclesiam secundarium. Regulares ergo illud tamquam secundarium habere possunt. Si autem dictus Titulus simul esset Patronus Dioecesis, tunc, qua talis, festum primarium et pro ipsis esset, cum locum afficiat, in quo ipsi degunt. Occurrentibus proinde pro Regularibus Titulo Cathedralis et Sancto Ordinis, si ritu sint pares, Sanctus Ordinis indubie praevalet. Occurrente vero Patrono Dioecesis, qui non sit principalis loci, cum aliquo festo Ordinis, in pari-

tate ritus, et qualitatis primarij, nisi dignitas personalis sit consideranda, praevalet quoque Sanctus Ordinis, quia magis proprius et fixus, ut exponitur.

2. In anniversario defunctorum, etsi unicum dicatur Nocturnum sine Invitatorio, antiphonae duplicandae sunt sicut in aliis diebus privilegiatis. Constat ex Rubricis et Decretis. Principium est certum, saltem impraesenti, unicam orationem in Missa significare ritum duplicem officii praecedentis; atqui in duplici antiphonae semper duplicantur.

3. Missae de requie privatae, nisi semiduplex occurrat, sunt prohibitae in anniversario, hinc ad ultimum Dubium nescimus quid respondendum.

VII. *Pro Goritia.* 1. Quando accidit, ut festum Patrocinii B. M. Virginis transferri debeat ad Adventum iuxta Decretum in *Hispalen.* ad 6 *(num.* 2587-4559), docet et A Carpo postremum tantummodo gradualis versum esse in Missa mutandum, qui erit *Ave, Maria* ex votiva tempore Adventus *(Adnot. ad 8 Nov. in Calend. Perp.).* In officio autem nihil immutandum praeter IX antiphonam, ut ei subrogetur *Angelus Domini etc.*, explicite dictum Decretum praedicat. Recte ergo Calendarium dicit.

2. Si die 30 Dec. erit Sabbatum, in quo faciendum est de S. Nicephoro (dupl. min.), psalmi in secundis Vesperis erunt de Nativitate, a Capitulo de S. Nicephoro, deinde fit primo commemoratio sequentis, S. Silvestri, inde Dom. et postea quatuor octavarum.

3. Si Sacramentum exponendum sit immediate ante Missam solemnem, consultius est ut exponatur a Sacerdote superpelliceo et stola induto, Celebrante et ministris sacris omnibus paramentis indutis pro Missa. Si autem Diaconus expositionem ageret manipulum ferre non debet, quem postea induet; et ratione uniformitatis cum Subdiacono, opportunius uterque, non in sacrario, sed post incensationem ad altare manipulum induent.

4. Quando immediate post Vesperas fit expositio Sacramenti, cum haec nullam cum Horis canonicis relationem dicat, eaedem Vesperae integrae absolventur eodem modo ac si discedendum esset e choro. Paritas ut aliquid omittatur, illata e Vesperis defunctorum die II Nov. vel e nocte Nativitatis Domini, vim non habet; quia hae partes sunt Officii, non vero expositio.

5. Si ultima in Dominica post Epiphaniam celebratur ex indulto festum externum Purissimi Cordis Mariae ab alumnis Seminarii theologici, nil vetat, quominus Missa votiva solemnis de eodem Puriss. Corde cantetur. Eiusmodi enim Missam uti votivam posse dici ex Missali constat. Indultum autem explicare supponimus, quaenam festa et quaenam Dominicae illam impediant: adeo ut an in Dom. Septuagesimae impediatur an non, dicere nequeamus. Non enim agitur de Missa votiva solemni *pro re gravi*, quam sola duplicia I cl. et Dominicae eiusdem cl. vetant; sed agitur de votiva solemni ex causa privata, quam Indultum moderatur, et consulendum.

6. Anniversarium pro confratribus potest statui semel pro semper feria V infra octavam Conceptionis, etsi quandoque in dictam feriam dies octava incidat; erit anniversarium late sumptum, quod prohibitum non credimus in die octava communi, quippe quae duplex minus est. Celebrabitur autem eiusmodi anniversarium sub ritu duplici, proindeque unica cum Oratione in Missa, iuxta Decr. Gen. 3753 ad V, et Rubricam Gen. Missalis (*Tit. V, n. 3*).

7. In Oratoriis nec consecratis nec solemniter benedictis liturgicum festum Titularis celebrari vetat Decr. Gen. 4025 ad V. Missa tamen cantari potest sine ulla difficultate de Sancto Titulari ab alumnis Seminarii, non qua talis, sed qua festum occurrens. Ceterum, quare solemniter non benedicitur? Non apparet ratio, neque difficultas.

SOLUTIO QUAESTIONIS

pro mense Maio 1901 propositae

Utrium, vi Rubricae Generalis Missalis (Tit. V, n. 1), sacerdos quisque teneatur aliquoties Missam celebrare generaliter pro defunctis, vel saltem pro defunctis commemorationem agere in Missa de die?

SOLUTIO.

Vix aliqua illustratione indiget Rubrica, quae pro quaesiti enodatione argumenta suppeditare debeat; et nihilominus, eam sub oculis lectorum ponere, haud inutile erit, arbitramur.

« Prima die cuiusque mensis (extra Adventum, Quadragesimam, et tempus Paschale) non impedita officio duplici vel semiduplici, dicitur Missa principalis generaliter pro defunctis sacerdotibus, benefactoribus et aliis. Si vero in ea fuerit festum simplex, vel feria quae propriam habeat Missam, aut resumenda sit Missa Dominicae praecedentis, quae fuit impedita, et infra hebdomadam non occurrat alius dies in quo resumi possit: in ecclesiis cathedralibus et collegiatis dicantur duae Missae, una pro defunctis, alia de festo simplici, vel feria praedicta.

« Sed in ecclesiis non cathedralibus nec collegiatis, dicatur Missa de die cum commemoratione generaliter pro defunctis » (1).

Solum dubium huius textus in hoc residet, nempe: an dies non impedita, de qua in Rubrica, audienda sit proprie *de die I mensis* ad exclusionem cuiuslibet alterius, vel *de quacumque die* in mensis decursu, *quae prima vice occurrat* non occupata festo duplici vel semiduplici. Supplicata autem pro declaratione huius dubii, S. R. C. suam aperuit mentem, rescribendo Missam, de quo in casu, si prima mensis dies impeditur duplici aut semiduplici, tunc esse reportandam et celebrandam in altera sequenti die non similiter impedita (2). Unde Rubrica intelligi debet *de prima vice*, ubi in mense non fit de aliquo officio duplici vel semiduplici, et *non de die I mensis tantum*. Caeterum concordat interpretatio haec cum speciali Rubrica Breviarii, quae in initio cuiusque mensis posita (praeter Aprilem semper occurrentem infra Quadragesimam

(1) Rubr. gen. Tit. V, n. 1.
(2) S. R. C. 27 Mart. 1745, n. 2380.

vel tempus Paschale) expresse dicit : « Prima die non impedita dicitur officium defunctorum » (1). Suppone enim illud officium defunctorum, quod est prorsus connexum cum memorata Missa de Requie, non ultra diem I mensis recitari posse, iam Rubrica expungi deberet e mensibus Februario, Maio, Iulio, Augusto et Novembri, quoniam singuli eorum in hac I mensis die habent festum ritus duplicis. Si ergo, non obstante hoc obice, servata est Rubrica, absque dubio audienda est *de prima die libera in mense*. Quod insuper palam facit Rubrica ante officium defunctorum dicens: « dicitur (officium defunctorum) extra tempus paschale prima cuiusque mensis die non impedita festo IX lectionum ; *alioquin alia sequenti die similiter non impedita* » (2). Unde causa finita est in hac parte, prout S. R. C. declaravit.

Hisce praemissis, sic procedimus :

Assertio 1.ª — In ecclesiis ad Chorum adstrictis, Missa principalis dicitur, prima die libera, pro defunctis in genere ; caeterae autem Missae de die sibi vindicant commemorationem generaliter pro defunctis.

Prima Pars probatur vere ex ipso contextu Rubricae Generalis supradictae. Non enim solum asseritur Missam principalem celebrari debere generaliter pro defunctis, prima die cuiusque mensis libera ab omni officio IX lectionum ; sed etiam ab ea non dispensari declaratur ecclesiam, quae alteram dicere tenetur secundum ordinem officii etiam trium lectionum, testibus verbis : « dicantur duae Missae, una pro defunctis, alia de festo simplici vel feria praedicta », excludendo aperte ecclesias non cathedrales nec collegiatas (3). Ergo obligatio huius Missae, vi ipsius Rubricae, non est ullo pacto dubia in ecclesiis ad Chorum adstrictis.

Haec doctrina confirmatur per decreta. Interrogata quoad ecclesias cathedrales, an Missa quae inibi celebratur iuxta rubricas generales pro defunctis in genere, qualibet prima libera die in mense, sit praeceptiva ? Et quatenus affirmative, an praedicta Missa possit applicari particulariter pro defunctis episcopis et canonicis illius ecclesiae in qua celebratur, pro satisfactione generalis Praebendae illius qui Missam celebrat ? S. R. C. respondit post examen diligens de more : *ad 1 affirmative*, id est, praeceptiva est ; et *ad 2, negative, sed pro benefactoribus in genere* (4) : unde intentio ipsius Missae non

(1) Horae diurnae Breviarii.
(2) Ad calcem Breviarii.
(3) Rubr. gen. Tit. V, n. 1.
(4) S. R. C. 27 Febr. 1847, n. 2928 ad 1 et 2.

est ad libitum celebrantis, sed ad mentem Rubricae imperantis generaliter pro defunctis. Adde hanc Missam adeo esse praeceptivam, ut nequaquam omitti debeat in dictis ecclesiis, quamvis longaevo tempore cessasset celebrari et in desuetudinem abiisset in festo simplici. Rogata quippe an, non obstante adversa centenaria consuetudine, celebrari debeant duae Missae iuxta Rubricas Missalis, vel potius virtute huiusmodi consuetudinis praetermitti valeat Missa pro defunctis, quid respondit S. R. C.? « *cantandae sunt omnino duae Missae, non obstante qualibet praetensa consuetudine, quae potius abusus censenda est* » (1).

An vero declaratio haec Congregationis valeat et pro collegiatis? Res controverti nequit, quoniam eadem Rubrica quae ligat cathedrales, ligat et collegiatas, dicens: « *In ecclesiis cathedralibus et collegiatis, dicantur duae Missae, una* pro defunctis, *alia* de festo simplici vel feria praedicta »; et si in praecedentibus decretis non nominentur collegiatae, hoc unice est quia consultatio facta fuit pro solis cathedralibus. Stat igitur inconcussa quoad primam partem assertio nostra.

Seconda Pars innititur decretis. Siquidem, Procuratore generali Congregationis S. Augustini de Observantia Longobardiae apud S. R. C. supplicante an, scilicet, quoties qui celebrat de simplici, vel reassumit Missam Dominicae praecedentis in 1ª die mensis non impedita, teneatur dicere secundam Orationem *Fidelium*, tam in Missa conventuali quam in caeteris privatis, S. R. C. censuit respondendum: *affirmative* (2). Unde constat nullam excipi Missam, ubi Oratio *Fidelium* vere sit praeceptiva, sive conventualem de officio currenti, sive privatam quoque de ipsa die celebratam, et ita silentio Rubricae quoad Missas non conventuales supplevit legislator, declarando pro istis et etiam pro Missa conventuali de officio currenti, applicari debere normam, paulo infra in ipsa Rubrica insertam pro ecclesiis non cathedralibus nec collegiatis.

Quaenam sunt autem conditiones requisitae ut ecclesiae ligentur ab hac Rubrica? Oportet 1° ut in mense sit saltem unus dies vacuus ab omni officio IX lectionum, quia Rubrica exigit diem non impeditam officio duplici vel semiduplici, sive occurrenti, sive translato, sive votivo rite acceptato; 2° ut dies — si plures sint absque officio IX lectionum — sit prima in mense occurrens, quia illa est quam expresse designat eadem Rubrica; 3° ut haec dies non incidat in Adventu, Quadragesima, vel tempore Paschali, quia ista tempora formaliter excipiuntur, nec ulterius remitti potest Missa vel commemo-

(1) S. R. C. 22 gen. 1678, n. 1609 ad 4.
(2) S. R. C. 13 Aug. 1701, n. 2077.

ratio generaliter pro defunctis, etiamsi in mense novus dies liber existeret, iam transacto tempore prohibito (1), quia tunc deficeret secunda conditio. Item, oportet ut praefata dies non occurrat, durante expositione SSmi pro re gravi et causa publica, quoniam Missae de Requie in casu prohibentur (2), nec amandari debet, quidquid dicant De Herdt et cl. Gardellini (3) ad alteram sequentem diem non impeditam, quia pariter iam deficeret secunda conditio, et ideo minus placet opinio *Ephem.* an. 1896 pag. 619, quae supponunt Missam hanc posse transferri; nam obligat tantum, servatis servandis, sed ubi non possunt servari, iam cessat obligatio, sicut in ecclesiis ubi prima dies absque officio IX lectionum occurrat in Adventu aut Quadragesima, vel Tempore Paschali.

Sufficiunt ne dictae conditiones, ut Missa ipso facto evadat praeceptiva, quando verificantur? Affirmative respondemus, etiamsi altera iam dicenda foret Missa conventualis conformis officio currenti trium lectionum, quia Rubrica est in hac parte omnino decretoria (4): *dicuntur duae Missae, una pro defunctis, alia de festo simplici, vel feria praedicta.* Etiam si quoque non diceretur illa die officium mortuorum, quatenus Bulla S. Pii V abstulit eius obligationem pro ecclesiis ubi non viget huius recitationis consuetudo. Namque, primo, idem Pontifex duas edidit Bullas, quarum si una Breviario praemissa relaxat obligationem pro non habentibus consuetudinem recitationis officii defunctorum, altera Missali praemissa silet super exemptione Missae pro defunctis, et ideo qui exonerantur ab officio, non exinde exonerantur a Missa. Secundo, *Ephemerides Liturgicae* (5) dicunt relationem inter Missam et officium defunctorum non aliquam indecentiam creare, quia, dispensato officio, nihilominus Missa diceretur in casu; Missa enim de Requie tanquam votiva est, et stare potest sine officio, ut aperte docent De Herdt (6), A Carpo (7), Quarti (8), Gavantus (9) etc. Interrogata denique Congregatio an, non obstante quod non vigeat consuetudo recitandi officium mostuorum diebus a Rubrica designatis, adsit tamen obligatio celebrandi Missam pro defunctis ad tramitem Rubricarum

(1) S. R. C. 27 Febr. 1847, n. 2928 ad 4.
(2) S. R. C. 7 Maii 1746, n. 2390 ad 4; 10 Iunii 1875, n. 3357; Instruct. Clement. § 17, et Gardell. in Instr. Clem. § 17, n. 6.
(3) Gardell. eod. loc. n. 7 et De Herdt. T. I. n. 50.
(4) Rubr. gen. Tit. V, n. 1.
(5) Ann. 1894, p. 372 et seq.
(6) Liturgicae Praxis. T. I, n. 50.
(7) Calend. perpet. Cap. VIII, n. 25.
(8) Part. I, Tit. V. (9) ibid.

Missalis Romani Tit. V, n. 1, respondit, exquisito voto alterius ex Apost. Caerem. Magistris: *affirmative* (1). Ergo vere sufficiunt tres conditiones supramemoratae ut observetur Rubrica, de qua in casu, in ecclesiis ad Chorum adstrictis.

Assertio 2.ª — In ecclesiis non cathedralibus nec collegiatis, nemo tenetur ad Missam generaliter pro defunctis, sed quilibet sacerdos dicens Missam de die debet dicere Or. *Fidelium* pro secunda Oratione in gratiam defunctorum in genere.

Constat prima Pars ex ipsa interpretatione Rubricae, ubi omnes Auctores semper agi viderunt proprie de Missa conventuali, et de facto in ecclesiis ad chorum non adstrictis non una potius quam altera dicitur principalis in his diebus, sed omnes Missae habentur aequaliter uti privatae. Caeterum nullus liturgista alicubi loquitur de tali obligatione pro istis ecclesiis et Rubrica in fine, ubi imponit duas Missas ad Chorum, declarat pro aliis sufficere Missam de die.

Probatur secunda Pars ex ipsis terminis Rubricae, quae ita se exprimit: « In ecclesiis non cathedralibus nec collegiatis, dicatur Missa de die cum commemoratione generaliter pro defunctis » (2), et idcirco imponit vere commemorationem pro defunctis in genere, quia vox « *dicatur* » cadit super ultima verba « *cum commemoratione generaliter pro defunctis* », et « *Missa de die* » est conditio *sine qua non* huius obligationis tantum. Deinde S. R. C. in decreto supra relato affirmat auctoritative omnem sacerdotem celebrantem ad tramitem Tit. V, n. 1 Missalis Romani in 1. die mensis non impedita, teneri in Missa de die dicere secundam orationem *Fidelium* (3). Ergo.

Quibus sic probatis, responsio ad quaestionem haec erit, scilicet: Vi rubricae generalis Missalis Tit. V, n. 1, *in ecclesiis ad chorum obligatis* dicitur semper *Missa principalis una pro generaliter defunctis, et in aliis* non est ulla obligatio. *Quoad commemorationem generalem pro defunctis*, semper et pro omnibus praeceptiva est, quoties celebrans dicit Missam de die, *sive agatur de Missa conventuali vel non.*

QUAESTIO SOLVENDA PRO MENSE IULIO 1901

Feria VI in Parasceve, si Diaconus Missae nequeat deponere calicem ex urna, alius Diaconus id agens stolam ne poterit **nigram** induere? et Presbyter Cappellani munere fungens in Missa de requie privata Episcopi, si forte tabernaculum aperire debeat pyxidemque extrahere, eiusdem ne coloris stola uti poterit?

(1) S. R. C. 10 Maii 1895, n. 3856.
(2) Rubr. gen. Tit. V, n. 1.
(3) S. R. C. 13 Aug. 1701, n. 2077.

QUAESTIO CANONICO-LITURGICA

Aegidius, ferali grassante lue in civitate ubi degit, ne certae, ut aiebat, oppeteret morti, suburbium quoddam petit, quo cum pervenerit, gravi correptus repentino morbo ad extrema deducitur. Vocantur medici consulendi de eius vitae discrimine et uno ore conclamatum esse respondent. Quod audiens Parochus loci, sponte sua pergit ad domum Aegidii cui ministrat suprema morientium sacramenta, quibus rite susceptis quin aliquid de sepultura statueret exspiravit animam. Hinc magna oboritur quaestio Parochum inter loci et Parochum domicilii Aegidii et Rectoris cuiusdam congregationis laicorum cui erat adscriptus defunctus: unusquisque enim pro aris et focis sibi vindicare vult ius exequiarum et delationis cadaveris de domo ad propriam Ecclesiam, et de hac ad coemeterium.

Hinc quaeritur:

1. Quid sit sepultura Ecclesiastica, quomodo distinguitur, quaenam Ecclesiae eam habent?

2. Quaenam iura et officia Parochi, Rectoris congregationis laicorum et Ecclesiae olim regularis?

3. Quid ad casum?

RESOLUTIO.

1. Ad primam partem primae quaestionis respondeo non unam esse acceptionem huius vocis sepulturae ecclesiasticae apud auctores de re liturgica et canonica agentes. Hinc plerique Doctores eam sumunt tum *a*) pro loco fidelium cadaveribus condiendis, destinato, tum *b*) pro ritu ea sepeliendi, tum *c*) pro iure sepulcri. Unde in prima acceptione definiri potest: « *locus auctoritate Episcopi vel ecclesiastico usu deputatus* (1) *fidelium cadaveribus excipiendis* »; in altera: « *ritus religiosus quo in loco sacro fidelium corpora conduntur* »; in tertia denique: « *ius quod competit fidelibus pie decedentibus ut in loco sacro sepeliantur* ». Ex quibus colligitur sepulturam ecclesiasticam duobus constare, loco scilicet sacro, et ritu catholico, et unum ita connectitur cum alio, idest ius funerandi cohaeret tanquam accessorium iuri sepeliendi, ut nisi defunctus expresse declaraverit alibi velle sepeliri et alibi fieri funebria, ubi sepultura ibi et funebria. Ita ex decr. S. C. C., Benedictus XIV (2) et D'Annibale (3).

Nunc ad secundam partem, scilicet quomodo distinguitur sepultu-

(1) Quatenus fideles sepeliebantur in Ecclesiis, auctoritate ecclesiastica tacite probante et non contradicente. (Ballerini, Opus theol. vol. 7, n. 592).

(2) Institutio Ecclesiastica 105, n. 25.

(3) Summula Theol. Moral. vol. 3, n. 176, in notis 83-84.

ra Ecclesiastica. Haec triplex est in iure canonico videlicet: *Electiva*, *Gentilitia*, *Parochialis*. De singulis pauca. Electiva ea dicitur, quam aliquis a iure non prohibitus dum viveret sibi elegerit. Dicitur a iure non prohibitus quatenus carent iure eligendi illi quibus ius negat hanc facultatem, scilicet: impuberes pro quibus tamen possunt eligere parentes, dummodo ante impuberum mortem (1), regulares quorum voluntas quoad actus externos subiacet Superioribus, nisi decedant in loco dissito a monasterio, quo commode deferri nequeunt (2) et indigni quibus in poenam criminis interdicitur sepultura Ecclesiastica. Dicitur vero dum viveret quia electio non facta a defuncto nequit fieri ab haeredibus, quod patet ex capite *Nos instituta*, et ut declaravit S. C. C. (3).

Nunc de sepultura gentilitia. Haec illa dicitur quam aliquis constituit sibi et consanguineis, unde et familiaris etiam appellatur, vel sibi et haeredibus, unde et haereditaria. Prima competit tantum agnatis (4) et cognatis et excluduntur affines (5), altera omnibus haeredibus. Ex peculiari vero iuris dispositione uxor habens sepulcrum gentilitium etiamsi in domum paternam reversa fuerit, si decedit absque electione sepulturae, sepelienda est in sepulcro ultimi viri sui (6). Denique iuri sepulcri gentilitii affine est ius competens regularibus utriusque sexus, novitiis, famulis, tertiariis degentibus in monasteriis et etiam mulieribus perpetuo commorantibus, ex apostolico privilegio (7), et denique Canonicis aliisque clericis beneficiatis, ut quisque istorum in sua sepeliatur Ecclesia. Porro de regularibus iisque qui iure regulares censentur nulla est controversia: sepeliendi enim sunt in Ecclesiis monasterii etiamsi extra decedant, dummodo degant sub regula (8), secus subduntur Parocho quoad funebria prout

1) D'Annibale, vol. 1, n. 113, nota 9.

2) De Herdt, Praxis Ritualis, cap. 7, § 3.

3) Ephemer. vulgo *Monitore Ecclesiastico* serie 2, fasc. 11, fol. 522, vol. 1.

4) Agnati descendentes per lineam masculinam, cognati descendentes per lineam femineam.

5) D'Annibale, vol. 1, n. 112 in nota 2.

6) Loco citato.

7) Loco citato, et etiam Bucceroni, Theol. Mor. vol. 2, n. 1154.

(8) Ephem. vulgo *Monitore Ecclesiastico*) serie 1, vol. 7, part. 1, pag. 132. — Bucceroni, Theol. Moral. vol. 2, n. 1151.

ceteri parochiani (1), Ita S. C. Episcop. et Regul. Quod vero attinet beneficiatos, seclusa electione et sepulcro maiorum, si Ecclesia beneficii peculiare habet sepulcrum pro beneficiatis, his illud competit ex declaratione S. C. C. (2), si vero Ecclesia beneficii peculiari caret sepulcro pro beneficiatis, utrum hi sepeliendi sint in Ecclesia beneficii vel parochiali dissident Doctores, eoque magis quod S. C. C. distulit suam proferre sententiam. Hinc (3) Schmalzgrueber, Reinffenstuel, Louvres, D'Annibale (4), Bucceroni (5) autumant sepeliendos fore in Ecclesia beneficii, alii e contra, uti De Herdt (6), seclusa consuetudine, vindicant horum sepulturam Ecclesiae parochiali.

Nunc de huius sepultura. Haec dicitur illa quae constituitur in singulis Ecclesiis parochialibus ad condienda cadavera fidelium paroeciae , vel aliorum ibi eligentium sepulturam. Porro ad aliquam quis pertinet paroeciam ratione originis aut domicilii, de quo declaravit S. Rota, quod *efficitur Parochianus alicuius parochiae qui ad habitandum in ea se contulit* »; attamen si animo semper manendi acquirit domicilium, si vero per aliquod tempus, acquirit quasi domicilium; et quamvis alii doctores requirant, ad acquirendum quasi domicilium, animum manendi per maiorem anni partem, alii e contra, uti Suarez, Navarrus, Layman apud Schmalzgrueber putant sufficere animum aliquot manendi menses (7). At in utraque sententia requiritur animus acquirendi domicilium vel quasi domicilium, unde dicitur in iure canonico (8): « qui ex ci-

(1) De Herdt, Praxis Ritualis cap. 7, § 3.

(2) Ephem. vulgo *Monitore Ecclesiastico* serie 1, vol. 4. par. 1, pag. 112.

(3) Ephem. citata, loco citato.

(4) Summula Theol. Moralis, vol. 1, n. 113.

(5) Theol. Moralis, vol. 2, n. 1151.

(6) Praxis Ritualis, cap. 7, § 3, et Praxis Pontificalis, vol. 3, num. 265.

(7) Ballerini, de matrimonio, n. 1186, et in notis ad Gury vol. 2, 838, nota B.

(8) Ephemerides, vulgo *Monitore Ecclesiastico*, serie 1, vol. 5, par. 2, pag. 98, et Benedictus XIV, Inst. Eccl. 105, n. 43.

vitate vel castro quandoque ad villam ruralem se transfert recreationis causa, vel ut ruralia exerceat, et decedat ibidem, non in Ecclesia dictae villae, sed in sua parochiali sepeliri debet ». Imo non solum requiritur ut aliquis alibi se tantum conferat, ut acquirat domicilium, sed ut reipsa per diem saltem habitet unum, et noctem. Ita Ciolli, De Luca et ipse S. Alfonsus (1). Unde in hoc differt quoad domicilium ius civile v. g. italicum a iure canonico, quod ius civile italicum articulis 16-17 requirit tantum intentionem acquirendi in aliquo loco domicilium, de quo constare debet per acta apud municipales auctoritates. His praemissis statuitur: Quilibet fidelis, qui alibi non elegerit sepulturam, nec gentilitiam habet, sepeliri oportet in sepulcro suae paroeciae, sive ratione originis, sive domicilii, vel quasi domicilii. Si duo habet domicilia, in ea paroecia ubi decedit, et si aedes habeat in finibus duarum paroeciarum, in ea sepeliendus est in qua aditus patet aedibus, et si in utraque patet, in ea in qua principalior existit. Ita Zitelli (2) et alii apud D'Annibale (3). Si denique aliquis parochianus decedit extra paroeciam, ad hanc deferendus est, si potest absque incommodo, quod putatur adesse, si locus unius diei distat spatio, aeque ac si cadaver coepit putrefieri, vel si lex obstet civilis. Ita Barbosa, Bouix et alii (4), secus sepeliendus in paroecia ubi decessit.

Porro agentes de sepultura parochiali oportet innuere per transennam aliquos casus. Hinc decedentes in nosocomiis, si degebant usque dum convaluissent, uti evenit in morbis ordinariis, sepeliendi sunt in paroecia domicilii, si vero degebant per vitam, sive ex natura morbi, sive ex fundatione, tunc sepeliendi sunt in paroecia in cuius finibus extat nosocomium, nunquam vero in huius Ecclesia, licet istius Rector de Ordinarii licentia Sacramenta ministrat, secluso tamen privilegio vel quadragenaria consuetudine. Ita Bouix, Scarfantonius apud

---

(1) Ephemer. citata, serie 1, vol. 3, par. 3, pag. 126.

(2) Apparatus iuris ecclesiastici, de sepulturis et coemeteriis, art. 5.

(3) Summ. Theol. Mor. vol. 1, n. 13, nota 12.

(4) De Herdt Praxis Ritualis, cap. 7, § 3.

De Herdt (1), et plures S. C. C. decisiones (2). Infantes vero expositi sepeliuntur in sepulcro hospitalis in quo aluntur, si habetur, secus in paroecia. Ita Latini et D'Annibale (3). Puellae vero decedentes in monasteriis ubi degebant tantum educationis causa, licet Sanchez, Samuel et Pelizzani teneant sepeliendas fore in sepulcro monasterii, Ferraris tamen, Matteucci, Pignatelli, D' Annibale (4), Bucceroni (5), aliis omissis, ex decretis S. C. C. autumant sepeliendas esse in sepulcro paroeciae ubi extat nosocomium (6).

De advenis denique et peregrinis quoad sepulturam triplex extat sententia. Prima tenet sepeliendos fore in Cathedrali, altera in paroecia ubi decedunt, tertia distinguit eos qui tantum pertranseunt, et horum sepulturam vindicant Cathedrali, ab illis qui aliquo degent temporis spatio, verbi gratia ratione merendi stipendia, studiis operam navandi, aliquod obeundi negotium, et istorum sepulturam paroeciae tribuunt, ubi decedunt, licet absque animo acquirendi domicilium. Huic tertiae sententiae adhaerent inter alios Savorio, Cardinalis Petra, Matteucci, Ferraris, ex S. C. C. decisionibus (7).

Si vero agitur de decedentibus in itinere, vel de illis qui uno loco defuncti in alium efferuntur. et non constat nec de electione sepulturae nec de domicilio, res haud facilis erit solutu. Nam cum cadaver deponitur in loco ubi extat sive statio fida carinis sive statio viae ferreae, minime constat cui Parocho competat associatio cadaveris ad coemeterium, vel in quanam Ecclesia peragenda sint parentalia, si haec petuntur.

Si locus unam tantum haberet Ecclesiam parochialem, huius

---

(1) Loco citato.

(2) Ephem. vulgo, *Monit. Ecclesiastico*, serie 1, vol. 5, par. 2, pag. 99.

(3) Summula Theol. Mor. vol. 1, n. 113, nota 20.

(4) Loco citato.

(5) Theologia Moralis. vol. 2, n. 1151.

(6) Ephem. vulgo *Monitore Ecclesiastico*, serie 1, vol. 4, par. 2, pag. 139.

(7) Ephem. citata, serie 1, vol. 3, par. 1, pag. 123; et vol. 5, par. 2, pag. 28.

Parocho certe competeret ius funerandi: at si locus plures habet paroecias cui ex Parochis competit?

Certe non competit Parocho in cuius paroecia extat statio, quia sola ratio brevissimae morae vel transitus nullum ei tribuit ius, secus actum esset de iure aliorum in associatione cadaveris, quod potest deferri per alias paroecias etiam harum irrequisitis parochis. Ita S. R. C. et Ferraris (1). Non competit Parocho in cuius Paroecia extat coemeterium, quod est commune omnibus Parochis loci (2). E contra vero competit ius eiusmodi funerum Ecclesiae Cathedrali, uti tenent Barbosa, Passerini et alii ex decretis S. C. C. 22 Iunii 1895. At si Ecclesia Cathedralis nolit suum exercere ius, deficiente consuetudine, sola auctoritas ecclesiastica potest definire quid agendum.

Nunc aliquid per transennam de tertia parte, scilicet quaenam Ecclesiae habent sepulturam ecclesiasticam. Paucis verbis respondeo cum Monacelli (3). Sepulcrum de iure competit privative Ecclesiae parochiali, quod evincitur ex iure canonico, et per consequens Ecclesiis Cathedralibus, quae reputantur, ait Barbosa et Passerini, primae in dioecesibus paroeciae (4). Ex privilegio vero apostolico gaudent iure sepulcri Ecclesiae regularium et monialium, quod probatur inter alios a Ferraris, Samuel, Benedicto XIV et S. Alfonso (5), unde concludit Devoti (6): « Iure sepeliendi gaudent Ecclesiae Cathedrales et parochiales quaeque illud consuetudine ac privilegio adeptae sunt ».

---

(1) S. R. C. 14 Febr. 1626, n. 615; 9 Dec. 1634, n. 1011; 15 Sept. 1685, n. 3094, et *Ferraris*, Parochus, art. 3, n. 36, 37, 40.

(2) Ephem. vulgo *Monitore Ecclesiastico*, serie 1, vol. 5, par. 2, pag. 151; item, vol. 7, part. 1, pag. 278; item, vol. 8, par. 2, pag. 167.

(3) Formularium legale practicum, vol. 1, formula X, n. 22, titul. VI.

(4) Ephem. citata, serie 1, vol. 9, p. 1, pag. 122.

(5) Ephem. citata series 1. vol. 4 par. 2. pag. 87; iem vol. 7. par. 1, pag. 132.

(6) Ephem. citata, serie 1, vol. 5, par. 2, pag. 151.

Ceterae ergo Ecclesiae per se nullum habent sepulcris ius, aeque ac Oratoria, nisi ab Episcopis donentur. Ita Monacelli (1). Unde eligens sepulturam in Ecclesia iure sepulcri carente, uti sunt Ecclesiae monialium, quoad sepulturam exterorum, secluso apostolico privilegio (2), oportet quod sepeliatur in sepulcro paroeciae, deficiente gentilitio (3). At si Ecclesia ad tempus tantum caret sepulcro, verbi gratia ex eo quod reparanda est, fas erit Episcopo decernere locum sepulturae, dum e contra si Ecclesia absolute caret iure sepulcri, non potest determinare locum sepulturae extra paroeciam defuncti, utpote talis determinatio laesiva iuris Parochi erga sepulturam fidelis eius curae commissi.

2. Ad secundam quaestionem respondeo, quod, ut clarius emergant iura et officia Parochi in sepultura fidelis suae curae commissi, oportet distinguere sepulturam defuncti in Ecclesia Parochiali, de qua in prima parte huius secundae questionis, a sepultura in aliena Ecclesia, de qua in secunda et tertia parte. Porro Parochus, si defunctus eius curae commissus in sua Parochiali Ecclesia sepelitur, habet ius imo et officium peragendi omnia a Rituali Romano praescripta, associandi scilicet defunctum ad Ecclesiam, faciendi hic parentalia et postea ad coemeterium comitandi, si in Ecclesia sepeliri nequit, licet Rivarolo (4) teneat, posse Parochum non comitari iterum cadaver ad coemeterium. Nam haec sententia non est conformis S. R. C. decretis (5), quae associationem Sacerdotis exposcunt. Hinc Parochus in associatione cadaveris stola indutus transire potest per quaslibet paroecias, istarum etiam irrequisitis Parochis, uti patet ex S.

---

(1) Formularium legale practicum, vol. 1, n. 25, formula XI, titul. VI.

(2) Monacelli, Formul. legale practicum, vol. 1, n, 5, formula XXIII, tit. XI.

(3) Monacelli, Formul. legale practicum, vol. 2, n. 90, formula I. tit. XIII.

(4) Il Governo della Parrocchia; parte 1, titolo 2, cap. 3, paragrafo XXIX.

(5) 5 Martii 1870, n. 5444 — 15 Iulii, 1876 n. 5670.

R. C. decretis (1). Imo Parochus aspergere debet cadaver antequam efferatur, dicere antiphonam « Si iniquitates » cum psalmo « De profundis », praecinere antiphonam « Exultabunt » et stola indutus ceteros alios praecedens, cadaver ad Ecclesiam suam parochialem, cuius tantum Crux privative elevari potest, comitari. Si vero interest funeri Capitulum Cathedrale, huius Crux elevatur, et praeses seu dignior Capituli stola induitur, non autem Parochus defuncti. Ita ex pluribus S. R. C. decretis, et clarissime in decreto 23 Aprilis 1895, quod decretum talem praecedentiam, accedente consuetudine, tribuit et Ecclesiae Collegiatae Capitulo. Quod attinet vero parentalia in ipsa Parochiali Ecclesia, nihil tribuitur Capitulo Cathedralis vel Collegiatae Ecclesiae, sed illa a Parocho defuncti peragenda sunt. Emolumenta vero omnia cedunt Parocho videlicet intorticia, candelae et cerei in Ecclesia circa feretrum et in altari accensi, circa cadaver delati, exceptis tantum candelis, quae deferuntur a confratribus, et oblatis Clero saeculari et regulari aliisque funus associantibus. Ita Barbosa. Benedictus XIII, apud Bucceroni. (2), Zitelli (3) et alii. Insuper Parocho debetur eleemosyna, quae ei competit ex statutis dioecesis. Attamen « *quocumque praetextu nequit exigere aliquid ultra statuta* » ita S. C. C. 16 Novembris 1669; unde inferunt Bouix, Barbosa et alii, apud De Herdt (4), quod si Parochus aliquid ultra statuta exigit, deficiente titulo retinendi, restitutioni est obnoxius. Denique nequit Parochus ratione suorum iurium denegare vel tantum differre sepulturam fidelibus suae curae commissis (5), imo ex Rituali « *pauperes quibus mortuis nihil aut ita parum superest ut propriis expensis humari non possint, gratis omnino sepeliantur, ac debita lumina suis impensis si opus fuerit adhi-*

(1) 23 Martii 1626, n, 615 — 9 Decembris 1634, n. 1011 — 15 Septembris 1685, n. 3094.

(2) Theol. Moral. vol. 2, n. 1153, 1154.

(3) Apparatus Iuris Ecclesiastici Lib. 1, Cap. V, art. IV, § 4, — de iuribus Parochorum.

(4) Praxis Ritualis, de iuribus Parochorum.

(5) S. C. C. 8 Aprilis 1634, *Ortenen.*, et 15 Maii 1638, *Acher.* apud Zamboni.

beant sacerdotes, ad quos defuncti cura pertinet, vel aliqua pia confraternitas si fuerit iusta loci consuetudinem ».

Tamen ex dictis sequitur, minime erui posse onus Parochi celebrandi gratis missam pro defuncto paupere, eoque magis quod Benedictus XIV (1) ab hoc onere Parochis imponendo abstinet, et ipsum Rituale Romanum loquens de pauperibus gratis tumulandis et debitis luminibus ministrandis, de missae mentione ne verbum quidem.

Si vero defunctus alicui Parocho subiectus in aliena sepeliendus est Ecclesia, non autem in Parochiali, tunc mutatis iuribus Parochi, en iura et officia Ecclesiae quae exponens vel tumulans vocatur, de quibus aliquid per transennam, brevitatis causa, heic innuo, licet « *brevis esse laboro obscurus fio* », ne quosdam taedio afficiam, quibus omnibus facio satis secundae et tertiae huius secundae quaestionis parti. Porro Parochus defuncti alibi sepeliendi de iure communi « benedictionem in domo mortui faciat circa corpus, stolam deferens a domo defuncti usque ad Ecclesiam, in qua corpus sepeliendum erit, aliis omnibus praecedere debet (2), absente capitulo Cathedrali, Ecclesiam vero exponentem stola indutus ingredi nequit nec funebria peragere potest (3) vel associare cadaver de Ecclesia ad coemeterium (4). Si Parochus vero funeri interesse renuit (5), vel diu moratur, elapsa hora (6), cadaver effertur, alio comitante Sacerdote, ad Ecclesiam exponentem cuius Crux absente capitulo Cathedrali, non autem Parochi, etiamsi intersit, privative elevatur (7). Unde funebria in Ecclesia et etiam associatio cadaveris ad coemeterium post parentalia Rectori Eccle-

(1) Institut. 36, n. XVI, et de Sacrificio Missae, Lib. 3, cap. XXII, n. 13.

(2) S. R. C. 5 Iunii 1614, n. 493.

(3) S. R. C. et S. C. C. apud De Herdt, Praxis ritualis, de iuribus Parochorum.

(4) S. R. C. et S. C. C. apud De Herdt, Praxis ritualis, *de sepultura*.

(5) S. R. C. 22 Ian. 1675, n. 2773 ad 6 — 20 Nov. 1677, n. 2846 ad 1.

(6) De Herdt, Praxis Ritual. de iuribus Parochi.

(7) S. R. C. 28 Aprilis 1866, n. 5362 ad 1, 2, 3.

siae exponentis seu tumulantis pertinet (7), quin Parochus defuncti ullum habeat ius sive quod attinet parentalia in Ecclesia, sive associationem ad coemeterium.

Emolumenta autem omnia cedunt Ecclesiae exponenti, detracta tantum favore Parochi domicilii defuncti quarta parte, quae funeralis dicitur, vel portio canonica, et solvitur ab ipsa Ecclesia exponente non autem ab haeredibus.

Imo haec pars funebris potest esse minor vel maior quarta, at requiritur praescriptio decem annorum, ut sit media vel tertia, quadragenaria cum titulo, vel immemorabilis absque titulo, ut sit infra quartam, vel ut omnino non solvatur. Demum debetur Parocho etiamsi nullum peractum fuerit funus sive testatoris sive haeredum voluntate, nisi tempore pestis fuerit omissum: at hoc casu, ex decisione S. Rotae Romanae 16 Iunii 1699, taxabitur quarta pars pro conditione defuncti, et negotium erit cum haeredibus (1). De iure Ecclesiae exponentis quoad emolumenta conferri possunt canonistae fere omnes. v. g. Schmalzgrueber, Ferraris, Sanguineti (2), Zitelli (3), D'Annibale (4), Bucceroni (5). Imo si funebria peraguntur in Ecclesia parochiali, defunctus vero in alia sepelitur Ecclesia, emolumenta cedunt Ecclesiae parochiali et quarta funebris Ecclesiae ubi sepelitur cadaver (6).

Praemissis his notionibus, corollarii instar fluit responsio secundae et tertiae parti huius secundae quaestionis, scilicet quaenam sint iura et officia rectoris congregationis laicorum, et Ecclesiae olim regularis.

---

(1) Ex ephemeride vulgo *Monitore Ecclesiastico*, serie 1, vol. 4, par. 1, pag. 195, vol. 6. par. 1, p. 150.

(2) D'Annibale, Theol. Mor. vol. 3, n. 177, notis 97-98.

(3) Sanguineti, Institutiones Canonicae, de sepulturis.

(4) Zitelli, Apparatus iuris Ecclesiastici, lib. 1, cap. V, art. IV, § 4, de iuribus Parochi.

(5) D'Annibale, Theol. Mor. vol. 3, n. 177.

(6) Bucceroni, Theol. Mor. vol. 2, n. 1151, 1154.

(7) S. R. C. 7 Decembris 1844, n. 4998; 14 Ianuarii 1845, n. 5022.

Hinc Rector Ecclesiae olim regularis, dummodo sit religiosus et officia peragat de Superioris Ordinis licentia, licet degat extra monasterium, cui forsitan adnexa est Ecclesia, iisdem gaudet privilegiis et exemptionibus quoad funebria, quam si plures regulares degissent sub regula in monasterio. Ita S. C. C. in pluribus decisionibus verbi gratia 7 Mai. 1880 (1). Unde Rector huiusmodi in associatione cadaveris ad suam Ecclesiam potest elevare Crucem, absente Capitulo Cathedrali, peragere parentalia in Ecclesia, et expleto funere comitari cadaver ad coemeterium « *recto tramite* », absque praesentia Parochi defuncti. Ita eadem S. C. C. Si vero in Ecclesia olim regulari nullus religiosus adest, qui divina peragat officia, sed e contra aliquis saecularis Sacerdos sacris fungitur muneribus, Ecclesia licet olim fuerit regularis nunc nullis gaudet privilegiis et exemptionibus. Ita De Luca, ex decisione Rotae Romanae, quae ait: « mutato statu mutatur ius et eius effectus, et ex decisione S. C. C. 17 Decembris 1824 (2). Si vero Ecclesiae, ubi fit sepultura defuncti alicui Parocho subiecti, est Parochialis vel confraternitatis laicorum extra limites paroeciae defuncti sita, tunc illius Rector, vel Parochus alius, iisdem gaudet privilegiis, quibus gaudent Ecclesiae regulares, tum quoad associationem cadaveris de domo defuncti ad Ecclesiam exponentem seu tumulantem, et de hac ad coemeterium, tum quoad funus in ipsa Ecclesia.

At si Ecclesia confraternitatis in limitibus extat alicuius Paroeciae, cui pertinet defunctus, huius Parocho integrum est non solum associare cadaver de domo ad Ecclesiam confraternitatis, et postea de hac ad coemeterium; sed etiam peragere funebria in ipsa confraternitatis Ecclesia. Quod evincitur ex decreto generali S. R. C. 7 Ianuarii 1704, n. 3670, ad 20, quae proposito hoc dubio: « An ad « Parochum spectet facere officium funebre super cadaveribus sepe« liendis in saepedictis Ecclesiis et Oratoriis publicis confraterni« tatum », respondere censuit: « affirmative, quando tumulandus est « subiectus Parocho intra cuius fines est Ecclesia vel Oratorium. »

(1) Ephem. vulgo *Monitore Eccl.* serie 1, vol. 2, par. 3, pag. 18-19.
» » » » » 5, » 2, » 150.
» » » » » 6, » 2, » 38.
(2) » » » serie 1, vol. 8, par. 1, pag. 4.

Imo ipsa S. R. C. quaestionem excitam inter Parochos et Rectores confraternitatum laicorum, resolvit favore Parochi in decreto 7 Iulii 1877, aeque ac 20 Novembris 1885, in utroque confirmans decretum generale, de quo supra (1). Idem declaravit S. C. Episc. et Regul. 24 Febr. 1888 (2) aliisque decretis in Actibus S. Sedis. Idem sentiunt auctores, v. g. Benedictus XIV, inter antiquos (3), D'Annibale inter recentiores (4).

3. Absolutis denique theoreticis quaestionibus, nunc ad earum applicationem in casu proposito. In primis Parochus suburbii, quod petierat noster miser Aegidius, morte correptus, quam voluerat effugere in civitate, optime se gessit, et omni est laude dignus. Nam, quin vocaretur, urgente Christi charitate cucurrit et morienti suprema ministravit sacramenta.

Certe nullius laesit ius: licet enim Parochus domicilii ministrare debet Sacramenta fidelibus sibi subiectis, in necessitate tamen quilibet potest Sacerdos (5). E contra male sensit vindicans sibi iura sepulturae, quae non ei competunt ratione domicilii vel quasi domicilii defuncti, qui ibi se contulerat tantum, ne in civitate morti oppeteret: nec ratione impossibilitatis efferendi cadaver in paroeciam domicilii, de qua non constat, nec ex eo quod ministravit Sacramenta, quod declaravit S. C. Episc. et Regul. 22 Maii 1615, et solum si defunctus sepeliretur in paroecia suburbii (quod non liquet in casu proposito), Parochus suburbii ius haberet ad quartam funebrem (6). Rector vero confraternitatis multa vindicat sibi contra ius Parochi. Nam sola adscriptio non tribuit ius sepulturae in confraternitate. Ita S. C. C. (7). Imo si constaret de iuridica electio-

(1) Ephem. vulgo *Monitoee Eccl.* serie 1, vol. 4, par. 2, pag. 7.

(2) » » » » » 7, » 2, » 19.
» » » » » 5, » 2, » 150.

(3) Institutio Ecclesiastica 105, nn. 93, 123.

(4) Summula Theologiae Moralis, vol. 3, n. 177, nota 88.

(5) Bucceroni, Theol. Moralis vol. 2, n. 526, et 866, et Benedictus XIV, de Synodo Dioecesana, lib. 8, cap. 4, n. 7.

(6) D'Annibale, Theol. Moral. vol. 3, n. 177, nota 77.

(7) Monacelli, Formularium, vol. 1, formula XI, n. 26.

ne sepulturae in confraternitate, associatio cadaveris ad Ecclesiam pertineret privative Parocho defuncti, aeque ac funus in Ecclesia et associatio de hac ad coemeterium, si Ecclesia confraternitatis esset in limitibus paroeciae defuncti, dum e contra pertineret Rectori confraternitatis peragere parentalia in sua Ecclesia et associare cadaver de Ecclesia ad coemeterium, si Ecclesia confraternitatis sita esset extra limites paroeciae defunti (1). Parochus denique Aegidii optimo iure vindicat sibi plenam sepulturam defuncti, qui, cum non constet alibi elegisse sepulturam, nec gentilitiam habuisse, nec domicilium vel quasi in suburbio acquisivisse, sepeliendus erat in paroecia sui domicilii, uti supra dixi de sepultura Parochiali.

Leonardus Margiotta Zema
Presbyter Reginus
proposuit et resolvit hanc quaestionem.

(1) S. R. C. 7 Iulii 1877, n. 5699, et Ephem. vulgo *Monitore Ecclesiastico*, serie 1, vol. 6, par. 1, pag. 150.

IMPRIMATUR

P. Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Ioseph Ceppetelli Archiepiscopus Myren. Vicesgerens.

Proprietas Literaria.

G.B. Agnolucci, gerente responsabile.

Roma — Tip. Partenopea F.lli Amoroso, Campo Marzio 46